


# ILLUSTRISSIMI ARCHIEPISCOPI CAMERACENSIS EPISTOLA,

*Qua ad secundam Illustrissimi*
*S. PONTII EPISCOPI*
*Epistolam respondet.*

Ex gallicâ linguâ in latinam conversa.





*ANNO*
M. D. C. C. VIII.

# ILLUSTRISSIMI ARCHIEPISCOPI CAMERACENSIS

*Epiſtola, quâ ad ſecundam Illuſtriſſimi Sti Pontii Epiſcopi Epiſtolam reſpondet.*

BREVES à te, Præſul Illuſtriſſime, æſtate proximè præteritâ litteras accepi, quibus longiorem aliquam Epiſtolam, eamque jam Pariſios à te miſſam pollicebare, quâ ſcilicet ad documenta mea paſtoralia iterum reſpondebas. Opus illud expectavi diu, ſed fruſtra, donec typis editum reſcivi, atque unum exemplar ab iis habui, qui illud divendunt. Jam audio alteram editionem eſſe adornatam, & quidem aliquâ appendice auctiorem. Verùm illius certè editionis nullum hactenus exemplar ad me pervênit. Atque iſta nolim exiſtimes à me expoſtulandi causâ commemorari, quæ tantùm eò pertinent, ut cognoſcas quæ mea tecum ratio fuerit, obſervantiæ reverentiæ-

que pleniſſima. Neque verò decet tribui utrique noſtrum, aut ad fidem ac religionem noſtram referri, quod litteris noſtriſcumque contingit, ubi ſemel a nobis emiſſæ ſunt. Equidem cùm nihil aliud occurreret, Epiſtolam meam publico curſori commiſeram, munitam eo ſigillo quod ſoleo adhibere; nam quòd faſciculum per ipſum iter reſeratum fuiſſe narras, id verò neque cavere potui, neque prohibere; atque ab æquitate tuâ & veritate poſtulo, Præſul Illuſtriſſime, ne mihi vitio vertas, id quod me non modò non volente, ſed etiam inſciente accidit.

Ego te compellare poſſum iiſdem verbis, quibus S. Auguſtinum S. Hieronymus compellabat: *Mihi autem decretum eſt te amare, te ſuſcipere, colere* quoad vivam. Ut eo ſim erga te animo, quo vel à primis annis fui, eroque ſemper, faciunt virtutes tuæ Illuſtriſſimo Epiſcopo dignæ. Atque utinam poſſim illud verè ſubjungere, quod idem ille Sanctus addebat, *Tuaque dicta quaſi mea defendere.* Cur enim non licet mihi ſic tua dicta defendere, ut etiam reprehendam mea? Cur non licet te potiùs magiſtrum agnoſcere quàm adverſarium? Sed nimirum noſtra hìc cauſa non agitur, neque ego te Epiſcopus Epiſcopum refellam. Eccleſiæ Catholicæ cauſa ſeipſa tuebitur adverſus eam, quam tuam eſſe voluiſti: *Nec ego tibi, ſed cauſa cauſæ reſpondit*, ut ejuſdem S. Hieronymi ad S. Auguſtinum verbis utar. Poſſum illud Deo teſte atque arbitro profiteri, me eſſe ſic affectum, ut ſi privata quædam eſſet cauſa, taciturus eſſem li-

benter, atque illud omne quidquid est controversiæ tibi condonaturus. Verùm hæc res est ejusmodi, ut neque ullum ex argumentis meis silentio premere mihi liceat, neque ullo pacto committere, ut ea debilitare emolliendo atque infringere videar. Veritatem prodere, Ecclesiæ ipsi deesse non possum. Itaque sic te observare ac venerari pergam, sic eam, quæ inter nos est in Christo Jesu, animorum voluntatumque consensionem fovebo, ut numquam fas mihi esse ducam, remissiùs tecum agere in iis confutandis, quæ mihi respondisti. * *Res cum re*, aiebat olim S. Augustinus, *causa cum causâ, ratio cum ratione confligat.* Vereor certè ne quod tacere mihi nefas est, quamlibet cautè ac religiosè à me proferatur, tibi tamen vehementer displiceat. Sed, quæ tua est æquitas, sanè patieris, ut ea dicam omnia, quæ & erunt veritati planè consentanea, & taceri sine flagitio non poterunt. Deum oro atque obsecro, ut ea mihi verba suggerat, quibus neque veritas infringatur, neque aut mea reverentia erga te, aut tua erga me humanitas ac benevolentia minuatur.

## I.

AC primùm hujus nostræ controversiæ caput ab ipsâ, quæso, origine repetamus. Agitur inter nos de Episcopis illis novemdecim, qui quatuor Episcoporum causam tueri voluerunt. Dixeram fieri sanè potuisse, ut illi novemdecim, quos inter tu locum habes, id solùm voluerint, obsequiosum silentium satis esse quoad illud factum, quod spectat ad Jansenii mentem personalem, ut

* *De utilit. cred. c. 1. n. 3.*

aiunt, ac propriam, non quoad hæreticitatem textûs Janseniani. Tu verò interpretationem hanc meam rejicis: contendis id voluisse novemdecim Episcopos, silentium obsequiosum satis esse etiam quoad illud factum, quod ad Janseniani textûs hæreticitatem pertinet, atque hanc eorum sententiam approbasse & ratam habuisse Clementem IX. summum Pontificem, in quatuor Episcoporum negotio componendo. At pauca sunt ad quæ velim, Præsul Illustrissime, ut diligenter advertas.

1. Quòd summum Pontificem Clementem IX. scientem multa præteriisse ac dissimulasse contendis, non mecum jam, sed cum Apostolicâ sede tibi disceptandum est. Nam illud quidem, quod affirmas tam confidenter, neque ullis argumentis probas, neque verò, liceat enim id quod res postulat liberè proferre, probabis unquam. Id quod tu à Clemente IX. factum esse pugnas, Clemens IX. jam tum ab eo tempore à se factum esse pernegavit. Præterea Clemens XI. ne tale opprobrium ac dedecus Decessori suo inferretur, cavit diligenter eâ constitutione, quam omnes Galliæ Episcopi summo plausu exceperunt. Idne agis, amabo, ut quid in eâ causâ Clemens IX. scierit, quid ignorarit, tibi meliùs, quàm ipsi Clementi IX. perspectum esse defendas? Id quidem quod ad te unum pertinet, quod vel à te uno gestum est, vel ab iis certè, qui in tuâ viciniâ commorantur, narranti tibi facilè credent omnes, atque equidem ingenuitatem istam tuam & candorem animi summopere veneror. Sed quod ad

Clementis IX. mentem animumque pertinet, cui re tandem probaturum confidis, tibi potiùs Sti Pontii commoranti notum fuisse, quàm Romanis Pontificibus, quid Romæ, quid intra sacrum Palatium actum, quid cogitatum, quid cognitum, ignoratumve fuerit? Illudne etiam postulas, ut tibi in tuâ causâ dicenti potiùs, quàm duobus summis Pontificibus ejusdem causæ cognitoribus ac judicibus fides habeatur?

2. Quid in eâ re gestum sit, potuitne tibi notius esse, quàm Eminentissimo Cardinali Estræo? Atqui sic ille pronunciabat coram Innocentio XII. in Congregatione habitâ 4. Junii 1693. *Fui ego unus ex iis tribus, quibus hujus negotii componendi cura commissa est. Quare quid gestum sit, unus omnium optimè commemorare possum.* Sanè vir tantæ autoritatis ac fidei, qui in eâ ipsâ re componendâ fuit adhibitus, dum coram summo Pontifice suæ administrationis rationem reddit, quid gestum fuerit longè diligentiùs cognoscere, longè veriùs commemorare debuit, quàm ille, qui Sti Pontii degebat, hoc est tam longè ab iis locis, in quibus res ista gerebatur. *Postulatum fuit*, ait Card. Estræus, *ut illi*, quatuor nimirum Episcopi, *sua Mandata ejurarent, atque irrita juberent esse; quod illi negabant se adduci posse ut facerent ....... Eo rerum statu mihi venit in mentem illud proponere temperamentum, quod ejurationis cujusdam vice esse posset.* Quidnam illud fuerit, cujus ope res tota composita est, quis meliùs nosse potuit, quam is qui illud ipsum *temperamentum proposuit*, qui sug-

gessit ? Sed ipsum audiamus : *Quippè cum ea subscriptio, quam illi suis in Diœcesibus imperaverant, non satis esse videretur, quid si, inquiebam ego, ab ipsis nova subscriptio postularetur ? Certè altera hac subscriptio magis consentanea præscriptis legibus, priorem, cujus quatuor Episcopi nullam jam rationem habere se ostenderent, quasi aboleret irritamque faceret. Consilium meum cæteris probatum est, rem tentari placuit, atque in eo diligens opera posita est, ut ad illud præstandum Præsules adducerentur. Paruerunt ipsi denique, & coacto cœtu synodali, subscriptiones alteras imperavere; totiusque rei gestæ seriem manu sua consignatam misère ad Clementem IX. summum Pontificem, testati se formulæ fidei ab Alexandro VII. præscriptæ subscripsisse ex animo, nullâ exceptione, nullâ restrictione adhibitâ. Hæc monumenta servantur etiamnum in publicis Sancti Officii tabulis. Summus autem Pontifex, dum ad eos rescripsit, spectavit potissimùm illud, quod erant de suâ subscriptione testati, verbis tam perspicuis, tam apertis, nihil ut exoptari posset ad conciliandam fidem aptius.* 1. Quamvis Episcopi quatuor silentium obsequii plenissimum scripto spopondissent, additâ etiam intimâ reverentiâ, quæ tamen non pertingeret ad certam facti controversi fidem, ejusmodi subscriptio *satis esse non visa est*, atque adeò silentium ejusmodi obsequiosum pronunciatum est *non satis esse*. 2. Visum est *ab ipsis novam subscriptionem esse postulandam*, quæ magis foret *consentanea præscriptis legibus*, quæ priorem illam, *cujus nullam jam rationem habere se ostenderent, quasi abo-*

*leret irritamqne redderet*; quia nimirum prioris illius tota ratio, quantum ad factum pertineret, silentio obsequioso continebatur. 3. Id agebatur, ut ipsorum honori & famæ consuleretur aliquatenus, dum illi instrumento subscriberent, quod *ejurationis cujusdam loco eßet*, atque eamdem planè vim haberet. Erat igitur necesse, ut ejurarent quodammodo id, quod suis Mandatis edixerant, scilicet videri sibi, quantum quidem ad factum spectaret, silentium obsequiosum satis esse. 4. Illud nimirum *consilium cæteris probatum est*. Nihil est igitur quod aliud quidquam inquiramus: illud unum est, ad quod *præstandum Præsules* quatuor adducti sunt. *Paruerunt ipsi denique*, & summo Pontifici per litteras *testati* sunt, *se formulæ fidei ab Alexandro VII. præscriptæ subscripsisse ex animo, nullâ exceptione, nulla restrictione adhibitâ*. 5. *Summus Pontifex, dum ad eos rescripsit, spectavit potissimùm illud, quod erant* ipsi ultrò *de suâ subscriptione testati, verbis tam perspicuis, tam apertis, nihil ut exoptari poßet aptius*, ad significandam subscriptionem integram ac simplicem, *nullâ exceptione* facti, *nullâ restrictione adhibitâ*. Nam illud tenendum est, istam exceptionem, quæ fecerat ut prior illa subscriptio *non satis esse videretur*, in eo fuisse positam, quòd quantum ad factum pertineret, nihil præter obsequiosum silentium, atque adeò, nullam certam atque absolutam fidem pollicerentur. Itaque subscriptio altera *magis consentanea præscriptis legibus*, quâ prior illa *abolita & irrita* effecta est, pertingebat sanè ultra silentium

obsequiosum; & fidem absolutam complectebatur.

Ea perscripta erat verbis iis, *quibus nihil exoptari posset aptius* ad testandam eam fidem, quæ à priore illâ subscriptione aberat, imò & ad præstandum *ejurationis cujusdam locum* & vicem. Illud est quod *summus Pontifex spectavit potissimùm*, minimè suspicans sibi fieri fucum aut fraudem apparari. Quidni verò id *potissimùm spectaret*? Quo tandem pacto significare potuit apertiùs, non sufficere silentium illud religiosum, quod se deinceps servaturos quatuor Episcopi priori subscriptione pollicebantur? Unum ex Transactoribus, cujus nomen retices, testem appellas. Is si est Eminent. Cardinalis Estræus, habes hujus ipsius, quem testem appellas, testimonium coram summo Pontifice prolatum, quod tibi sic adversatur, ut te jugulet.

3. At si maximè evinceres, quod probari nullo pacto potest, Sedem Apostolicam usam esse hac in re eâ dissimulatione ac conniventiâ, quam à se adhibitam fuisse Apostolica Sedes pernegat, quid tandem ejusmodi argumento tantæ invidiæ pleno consequereris? Illud unum ostenderes, Clementem IX. adeò sensisse, quantùm ejusmodi conniventia in tolerando silentio obsequioso legibus juris esset contraria, ut ejus suspicionem removendam à se arbitratus fuerit, ne scilicet legi non obsecutus esse videretur. Quare etiamsi poneretur id, quod jam unum est sectæ præsidium, quodque poni profectò nisi falsò non potest,

summum Pontificem scientem ac prudentem annuisse, ut Episcopi quatuor nihil aliud præter silentium obsequiosum pollicerentur, tamen illud maneret, hanc dissimulationem Sedi Apostolicæ visam esse dignam, quam celaret, quam à se negaret fuisse usurpatam, cujus famam ac suspicionem à se removeret. Certè indè colligi meritò posset, sic existimasse summum Pontificem, non esse committendum, ut circa obsequiosum silentium aut quatuor aut novemdecim Episcopis quidquam remissum aut condonatum fuisse videretur. Igitur probares tum, Præsul Illustrissime, quod probare sine gravissimo Ecclesiæ universæ dedecore & scandalo non posses, factum esse ab Apostolicâ Sede, quod ipsa negat à se factum: atque illud quidem & numquam probabis, & est ejusmodi, ut si probares maximè, tamen minimè tuam causam adjuvaret.

4. Jam verò si nulla fuit ea dissimulatio, quam homines è secta tantopere prædicant, nulla pariter fuit ea quam narrant negotii conciliati ratio, fitque manifestum summo Pontifici errorem fuisse per fraudem objectum. Quis fuerit illius fraudis architectus, jam non disquiro. Hoc unum volo, summum Pontificem verè negasse, ullam dissimulationem à se fuisse adhibitam, unde efficitur fuisse ipsi errorem objectum ab aliquo. Illud ipsum est, quod Illustr. Episcopus Aletensis pertimescebat, Vallonio teste, ne ventura ætas, non sine gravi offensione, quondam exhorresceret.

* *Illustr. Episcopus Aletensis*, inquit Vallonius,

* *Mense Iulio 1676.* † *Ianuario 1696.*

*non nisi ægrè adduci se passus est in sententiam eorum, qui Epistolam hanc præformaverant, cui satis suboleret id, quod posteà contigit, fore ut quatuor Episcopis imponeretur crimen delusi Pontificis, aut saltem fallacibus & ambiguis dictionibus elusi.* † *Pupugerat istud mirum in modum Aletensem Episcopũ, qui summoperè contendebat ut epistolâ ad Papam significaretur, nihil fuisse à quatuor Episcopis immutatum, quod ad substantiam Mandatorum pertineret.*

Atqui ex illo gravissimo Cardin. Estræi testimonio, & confessione Vallonii manifestum est; ClementemIX. quatuor Episcoporum litteris prorsus adductum fuisse, ut crederet eos alterâ illâ suâ subscriptione non se continuisse intra obsequiosi silentii limites, cùm jam silentium illud essent polliciti subscriptione primâ, quæ propterea censebatur *non satis esse.* Manifestum item est, Clementem IX. longè fuisse ab eo, ut Ecclesiæ verba daret, cùm obsequiosum silentium, quod Episcopi quatuor ultrò primùm erant polliciti, quodque Episcopi deinde novemdecim tuebantur, sibi minimè satisfacere sic pronunciabat: *Decessorum nostrorum constitutionibus inhærentes, nullam circa illud exceptionem aut restrictionem admissuri unquam fuissemus.* Jam si nullo argumento probari potest, Sedem Apostolicam usam esse eâ simulatione, quâ se usam unquam fuisse ipsa pernegat, manifestum est Clementem IX. non minùs fuisse erga novmedecim Episcopos in silentio obsequioso reprobando constantem, quàm

Clemens XI. erga quadraginta Doctores constans fuit. Mirum igitur esse non debet, Clementem IX. numquam adduci se passum esse, ut ad Episcopos novemdecim quidquam rescriberet, & satis significasse, quantùm ipsorum improbaret Epistolam, cujus nimirum nullâ habitâ ratione, priorem subscriptionem *non satis esse* decrevit, neque *præscriptis legibus consentaneam*, unde & *aboleri* eam ac quasi *ejurari* voluit. Quare quamlibet contendas Episcoporum novemdecim causam, eâ quâ instituisti ratione, defendere, semper erit manifestum, eos ut suis Collegis gratificarentur, tueri voluisse silentium illud obsequiosum, quod à sanctâ Sede numquam admissum, ab eâ denique solemni judicio damnatum ac reprobatum est.

II.

Atque antequam progrediamur ulteriùs, operæ pretium est advertere, Præsul Illustrissime, te in eo perpetuò versari, ut mihi tribuas id, quod à me neque dictum unquam neque cogitatum fuit. Id ponis, accusari à me XXIII. Episcopos, quasi contra jurisjurandi fidem ac religionem existimaverint, hæreses quinqne non esse in libro Jansenii, ejusque textum purum & orthodoxum esse. Atqui, Præsul Illustrissime, nihil unquam à me profectum est, quod ad crimen ejusmodi pertineat. Neque verò agitur, num his Præsulibus textus ille catholicus, num hæreticus visus fuerit. Hoc unum agitur, an persuasum habuerint necesse esse, ut textus ille hære-

ticus esse crederetur ab eo, qui formulæ subscriberet. Agitur num illius, quod facti nomine censetur, fidem certam ac firmam postulare vellent ab iis omnibus, quos formulæ subscribere juberent; an verò silentium obsequiosum ab iis promitti satis haberent. Illud enim numquam est omittendum, Præsul Illustrissime, te unum esse qui hoc defendas, illos Præsules ita postulavisse subscriptionem, ut tamen fidem facti certam non postularent, sed obsequiosum silentium satis esse dicerent. Quare si tibi de totâ eorum agendi ratione disputanti creditur, subscriptionem cum jurejurando conjunctam ita postulabant, ut tamen factum credi non imperarent. Quid verò refert hanc fuisse privatam ipsorum mentem ac sententiam, hæreses quinque libro Jansenii damnato contineri, si persuasum nihilominus habuerunt, potuisse Clericos sic jurare, ut tamen non crederent, modò, quantùm pertinet ad illud quod factum dicitur, obsequioso se silentio continerent. Agitur hîc natura jurisjurandi, quod evadit in perjurium, ubi certâ fide non creditur illud factum, cujus fides jurejurando significatur. Quare licet ponamus Episcopos illos non dubitasse, quin liber damnatus foret hæreticus, atque adeò ipsos verè atque ex animo in præscriptæ formulæ verba juravisse, certè illud nihilominus ex tuo eorum rationem explicandi modo sequitur, ipsos ultrò probasse perjurium in iis omnibus, à quibus jusjurandum sic exigebant, ut facti fidem certam non exigerent, sed obsequiosum silentium

promitti satis haberent. Itaque sejungamus, amabo, jusjurandum ab Episcopis XXIII. juratum, hæreamusque in eo jurejurando, quod ab aliis ita postulabant, ut certam facti fidem non postularent. Hoc ipsum est, ni fallor, laxitatis in Theologiâ morali hactenus inauditæ genus, quod qui sequuntur, ubi agitur de jurejurando, quo professio fidei firmatur, à summo Pontifice dicuntur *eò impudentiæ devenisse*, *ut veluti naturalis honestatis*, *nedum Christianæ sinceritatis obliti* sint, atque *Ecclesiam jurejurando decipiant*. Perjurium illud XXIII. Episcopi ipsi non admiserint, at certe fuerunt autores, si vera sunt ea quæ tu defendis, ut ab aliis admitteretur. Atque illud est, quod Emin. Card. Noallius vocat, *favere ipso usu restrictionibus mentalibus*, *ambiguè dictis*, *imò & perjuriis*. Illud est, quod Illustrissimus Archiepiscopus Rhemensis vocat *probrosam dissimulationem*, *eamque cum perjurio conjunctam*. Illud est, quod Episcopi cæteri suis Mandatis confixere ac detestati sunt. Itaque, Præsul Illustrissime, quamlibet ponas Episcopos XXIII. credidisse Iansenii textum esse hæreticum, facies quidem ut ipsi perjurium admisisse non credantur, sed nunquam eo pacto ab iis removebis culpam illius perjurii, quod ut ab aliis admitteretur autores fuere. Debuerant illi sanè, vel jusjurandum, quod formulâ continetur, abjicere & repudiare, quippe quod esset tyrannicum, ac perjurium extorqueret ab iis, qui *factum* non credunt, & se intra silentium obsequiosum continent, vel non esse illo obsequioso

silentio contenti, & certam fidem postulare; cùm jusjurandum ab universo Clero suo postularent. Tu illos neutrum præstitisse pugnas. Eos igitur facis reos approbati illius jurisjurandi, quod sancta Sedes atque omnes Episcopi tam graviter accusant ac detestantur. Quare patere me illud verè dicere; quod non dicerem profectò, nisi necessitas ipsa cogeret: tua isthæc tota argumentatio prorsus ruit Refellit enim ea quæ dixi numquam, nihil facit ad ea quæ ego dixi. Defendit jusjurandum, quod ipsi Episcopi juraverunt; quod ego non accuso: sed minimè defendit eorum litteras ac Mandata, quibus, ut tu quidem vis, jusjurandum permittebant, absque firmâ ejus, quod jurejurando affirmatur, fide.

III.

SATIS intellexisti, Præsul Illustrissime, omnes Episcopos adversum te cum Sede Apostolicâ in eam sententiam conspirare, ut negent silentium obsequiosum satis esse, fidemque certam requiri & necessariam esse contendant. Quare, ut aliquod effugium tibi comparares, excogitasti discrimen nescio quod inter silentium obsequiosum, quod à Clemente IX. probatum fuerit in XXIII. Episcopis, & silentium item obsequiosum, quod à Clemente XI. fuerit in XL Doctoribus improbatum. Sed nimirum facilius est discrimen aliquod comminisci, quàm in quo illud positum sit, clarè ac distinctè proponere. Discrimen illud, quod unum jam atque ultimum perfugium habes, oportuit esse tam clarum ac manifestum

quàm quod maximè. Illud tamen adeò defendi non poteſt, aut verbis nudis atque apertis enunciari, ut numquam ſuſtinueris duplex illud obſequioſi ſilentii genus invicem conferre ac componere, & quo alterum ab altero diſcrepet, oſtendere. Arguis me, quod utrumque miſceam: tu verò quomodo tandem probas, alterum ab altero ſecerni oportere? Verba tua recognoſce. * *Quo tandem pacto comperiſti, unum aliquem ex his Epiſcopis aut voce aut ſcripto quidquam docuiſſe, doceruve præcepiſſe contra id, quod fuit à ſummis Pontificibus judicatum? Id verò non niſi falsò jactari poſſe patet vel ex hoc noſtro obſequioſo ſilentio, ſi nativo ſuo ſenſu ſumatur atque intelligatur, non illo perverſo uſu, quo ſummus Pontifex illud modò damnavit.* Significas ſilentium obſequioſum damnatum non fuiſſe, niſi propter *perverſum uſum* illorum, qui eâ ſimulatione atque nomine *docerent contra id, quod fuit à ſummis Pontificibus judicatum.* Subjungis, † *errare cum vulgo*, quiſquis ſibi fingit, *non poſſe obſequioſum XXIII. Epiſcoporum ſilentium conſiſtere cum ullâ obedientiâ aut fide circa ea facta, de quibus Eccleſia pronunciavit.* Neceſſe eſt igitur, ut clarè demonſtres aliquam in facto credendo fidem, quam Epiſcopi ſuo ſilentio obſequioſo complexi ſint, & Doctores ſuo complecti noluerint, aut certè probes eo ſilentio Doctores malè abuſos eſſe, ut quidpiam *docerent contra id, quod fuit à ſummis Pontificibus judicatum*, atque eum abuſum

* *Pag.* 14. † *Pag.* 95.

provideri ab Episcopis non potuisse. Hæc duo si placet, paulò diligentiùs expendamus.

1. Primùm illud perspicuum est & principii loco haberi debet, duabus illis vocibus, *silentium obsequiosum*, fidem certam nullatenus designari. Designatur scilicet reverentia vera atque intima, quæ autoritati admodum venerandæ defertur, quâque fit ut subditi sibi nefas esse ducant de eo judicio loqui, quod ab ejusmodi autoritate profectum est. Præthereà nemo unquam ad obsequiosum silentium confugit in eâ re, quam rectè judicatam esse, de cujus judicio ita omnibus persuasum esse debere, quam ab omnibus certò credi oportere existimat. Tum verò reverentia non modò non facit ut sileatur, ne superioris autoritas ac dignitas verbis adversus ipsam prolatis aliquo pacto lædatur, sed etiam facit ut non sileatur, facit ut summo quisque studio loqui contendat, & palam testari, quàm persuasum habeat, id quod ab eâ justè decretum est, credi certò ab omnibus oportere. Igitur quatuor Episcopi, si modò persuasum habuissent id quod Jansenianum factum dicitur, certò credi ab omnibus oportere, non profectò ad silentium obsequiosum confugissent, ne scilicet Ecclesiæ contradicerent, sed contrà silentium illud omisissent, jussissentque ab omnibus omitti, ut certam ac firmam fidem enunciarent. Præthereà quid tandem ab ipsis postulabatur? Nempe fides certa, quæ subscriptione nudâ ac simplici significaretur. Quid est quod negabant? Eadem illa fides certa, eadem illa

simplex

simplex ac nuda subscriptio. Quid autem ultrò pollicebantur ? Nempe silentium obsequiosum ; loco fidei certæ ; nempe restrictionem atque exceptionem, loco subscriptionis nudæ ac simplicis. Si persuasum ipsis fuisset, fidem in ea re certam exhiberi ab omnibus oportere, facilè fuissent adducti, ut ab universo suo Clero putam ac simplicem subscriptionem exigerent de illo facto, quod ab omnibus certâ & absolutâ fide credi voluissent. Tum certè nullâ re hi Præsules à suis adversariis dissensissent : tum dedissent ultrò id omne quod summus Pontifex ab ipsis postulabat : tum nullum adiissent periculum amittendæ sedis atque etiam communionis Catholicæ : quin potiùs dixissent : ( Nos verò nolumus servari de facto Jansenii silentium ortum ex reverentiâ & obsequio : sic enim nobis persuasum est, factum illud credi certâ fide ab omnibus oportere, eamque certam fidem palam denunciari. Quare ut fidem, sic & subscriptionem absolutam volumus esse. ) Est igitur manifestum, quatuor Episcopos suo silentio obsequioso certam facti fidem non fuisse complexos : atque illud credo, Præsul Illustrissime ; quæ tua est æquitas, deinceps ultrò fateberis.

2. Jam verò Doctores XL. non minùs quàm Episcopi quatuor, sedulò professi sunt, suo obsequioso silentio contineri obsequium & reverentiam intimam ac veram. Sic enim suo libello supplici agunt apud Emin. Card. Noallium : *Illud imprimis accusant & calumniantur ; quasi ille Clericus nihil Ecclesiæ daret præter silentium quoddam exter-*

*num*, *prætereà plenum fraudis ac simulatæ pietatis.* *Sed illud*, *Præsul illustrissime atque Eminentissime*, *liceat pace tuâ dicere*, *& cum summâ reverentiâ testari*, *falsò id & temerè in eum conjici. Quid enim attinet de solo silentio verba facere*, *cùm ille reverentiam & obsequium adjungat? Silentium quidem ipsum externum est: verùm proficiscitur ab obsequio & reverentiâ*, *quæ decretis Ecclesiæ debetur: atque hi nimirum interni sunt ac minimè ficti mentis animique sensus.* Intimi illi ac veri *mentis animique sensus* quid sunt aliud, quàm reverentia tantæ autoritati debita, magna quædam de illius æquitate opinio, diffidentia sui, eximium quoddam quasi præjudicium, tum docilitas, observantia, obsequium, quibus mens atque animus flectitur ad assentiendum illi decreto, quod maximâ atque intimâ reverentiâ dignissimum est. P. Quesnellius (is enim scripsit Epistolam illam sub nomine Episcopi ad Episcopum) sic loquitur; *Quantumlibet se torqueat is*, *qui mediam aliquam rationem quærit inter hæc duo*, *obsequium fidei cæcum*, *& obsequium reverentiæ ac solius disciplinæ*, *frustrà erit*, *nullam inveniet.* Et verò silentium obsequiosum Doctorum 40. in cujus commendationem hæc Epistola scripta fuit, tale est, ut nihil prorsus requiras præter fidem certam, nihil desideres. Autor Animadversionum in decretum Emin. Card. Noallii queritur ac expostulat, quòd iis, qui sunt Ecclesiæ regendæ præpositi, non satisfaciat id, quod Doctores 40. contestati sunt, *solam esse fidem intimam factorum non revelatorum*, *quam non polliceantur*, *eam unam si exceperis*,

*nullum esse observantiæ & reverentiæ genus, quod non complectantur silentii & obsequii vocibus, aut aliis quibusvis quas usurpare jubebuntur.* Quare cum silentium obsequiosum Episcoporum XXIII. non pertingat ad fidem certam atque intimam, fieri nullo pacto potest ut pertingat ultra illud, quod à Doctoribus 40. explicatum est. Imò non facilè fortasse reperias insttumentum ullum aut monumentum à quatuor Episcopis profectum, quo tam distinctè atque apertè exponantur omnes animi sensus, qui silentio illo obsequioso continentur, quàm distinctè exponuntur iis scriptis quæ modò retuli; vel à 40. Doctoribus, vel ab eorum patronis. Sola est igitur fides certa & absoluta, quam Doctores 40. silentio suo obsequioso non complectantur. Sed neque illam pariter complexi sunt Episcopi quatuor eo silentio, quod usurpari posse censuerunt. Et verò si quis fidem certam cum silentii obsequiosi nomine conjungeret, is continuò silentium re ipsa negaret. Nam, ut superiùs animadversum est, qui de Præpositi sui decreto, reverentiâ & obsequio ductus tacet, idcircò tantùm tacet, ne illi contradicat, cùm nimirum licere sibi putat ab ejus sententiâ discedere. Est igitur manifestum, obsequioso Doctorum 40. silentio non minus obsequii & reverentiæ contineri, quàm silentio Episcoporum XXIII. Et Doctores, ut ex ipsorum libello supplici patet; observantiam, fiduciam, docilitatem, obsequium, intimam reverentiam suo silentio tam complectuntur, quàm Episcopi suo; & Episcopi non magis quàm Do-

ctores fidem facti certam silentio illo complectuntur. Unum est igitur ac planè idem in utrisque silentii genus. Investiga diligenter, Præsul Illustrissime: quò investigabis diligentiùs, eò minus utrimque discriminis esse, re comperies. Quò magis accuratè ista duo componentur inter se, eò magis dilucidè, quàm similia sint & paria, perspicietur. Sanè cavendum, ne misceantur ea, quæ distingui oportet: sed & cavendum non minùs, ne quis rem unam & simplicem vanis atque ad illudendum comparatis distinctionibus implicare velit. Quamlibet subtiliter atque argutè disceptemus, unum dumtaxat atque idem nobis occurret silentium obsequiosum, quod in Episcopis quatuor Ecclesia nullâ unquam simulatione tolerandum esse duxit, quodque in Doctoribus 40. solemni denique judicio reprobavit.

3. Frustrà verò id agis, ut summus Pontifex non silentium ipsum obsequiosum damnasse existimetur, sed *perversum* illius *usum*, quem induci à quibusdam credidit, *ut quidpiam docerent contrà quàm fuit à summis Pontificibus judicatum.* Frustra congeris & explicas ea argumenta, quibus illud silentium per se sumptum culpâ liberes. Summus Pontifex denunciat, *obedientiæ, quæ Apostolicis Constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio minimè satisfieri*, non illud satis esse ad jusjurandum quod postulatur, eo silentio, quod tu culpâ liberas, admitti perjurium in professione fidei, quia non certa fides conjungitur cum iis verbis, in quæ jusjurandum conceptum est. Prætereà non credis

profectò, Præsul Illustrissime, quemquam *perversè usum* esse silentio obsequioso, *ut quidpiam doceret contra id quod fuit à summis Pontificibus judicatum.* Sic enim existimas, ut modò videbimus, jam ab annis 60. inquiri in eos, qui propositiones quinque defendant, reperiri neminem. Quare si tibi creditur, summus Pontifex postremâ suâ Constitutione nihil aliud quàm temerè atque inconsultò turbas magnas excitavit, ut scilicet damnaret voces duas, quæ licet *suo sensu nativo* nihil non pium ac laude dignum significent, tamen inquietorum quorumdam hominum & S. Augustini discipulos injustè vexantium falsis sermonibus adductus est, ut continuò crederet, quod longè abest à vero, iis vocibus esse aliquos qui *perversè uterentur.* Denique, Præsul Illustrissime, si Ecclesia vocum illarum solum *perversum usum*, non sensum obvium ac nativum damnare vellet, futurumne fuisse credis, ut ea non aptè secerneret rem ipsam, quæ nimirum esset bona, ab eo *usu*, qui solus *perversus* esset? Tum verò Ecclesia silentium illud omninò non damnaret, sed potiùs tota esset in eo, ut illud ab omnibus religiosè servaretur, neque ullâ causâ aut prætextu quisquam illud omittere auderet. Et verò meministine fuisse unquam tempus ullum, ut hoc utamur exemplo, quo Ecclesia formulæ jusjurandum damnaverit, quia nimirum Janseniani eò perversè abuti creduntur? Minimè verò committit Ecclesia, ut rem bonam ac laudabilem miscere videatur cum *usu* ejus rei *perverso*, qui à privatis qui-

busdam hominibus inducitur. Id si esset, quod tu fingis, tum certè Ecclesia denunciaret, silentium obsequiosum adeò pietati consentaneum esse, adeò satisfacere, ut illi tantùm peccent, qui eo non utantur, qui verò utantur, nulli rei deesse. Contrà verò Constitutio docet, silentium illud non satis esse ad vitandum perjurium, non obstare, quominus *Ecclesia jurejurando decipiatur*, quia deest certa fides, qua *doctrinam hæreticam Jansenii libro contineri* credatur. Postulat Ecclesia, ut *Jansenii doctrina interiùs abjiciatur, corde improbetur*, atque hæretica esse, *interiùs judicetur*, ac certò credatur: non satis habet observantiam, obsequium, docilitatem, reverentiam, propensionem voluntatis in gravissimum illud præjudicatum, opinionem etiam probabilem, quæ in eam partem inclinet atque impellat, nullam denique *aliam mentem, animum, aut credulitatem* præter eam, quæ *judicium interius* & absolutum complectatur. Damnatum est igitur silentium obsequiosum quodlibet, damnatum quodlibet obsequium, quælibet reverentia aut credulitas, quæ ad fidem certam non pertingat. Atqui mox vidimus, silentio obsequioso Episcopos non magis quàm Doctores fidem certam esse complexos. Igitur manifestum est, silentium quo usi sunt Episcopi, non minùs esse damnatum quàm illud, quo usi sunt Doctores; quin potiùs cùm utrumque illud silentium unum prorsus atque idem sit, utrumque uno & eodem Ecclesiæ fulmine petitur, unâ & eâdem sententiâ proscribitur.

4. Omitti hoc loco non potest, id quod æquitas postulat ut animadvertatur, Doctores 40. silentium obsequiosum ita propugnasse, ut excusatione aliquâ digniores videantur quàm Episcopi illi, quorum rationem totam interpretari, & defendere aggrederis. 1. enim Episcopi, quò plùs autoritate valent, eò debuerunt cavere diligentiùs, ne eâ abuterentur. 2. Doctoribus duces fuerunt, ipsis præmonstraverunt viam: neque unquam ausi essent Doctores silentium illud tueri atque approbare, nisi Episcoporum illorum vestigia fuissent persecuti. 3. Doctores interroganti Confessario atque enixè petenti, ad sedandam mentem & conscientiam unius, qui ad ipsum accesserat, responderunt eâ lege [sic enim possunt profiteri] ut quod statuerant, numquam divulgaretur; contrà verò, si te audimus, quatuor illi Episcopi silentium obsequiosum suis Mandatis propugnavere, quod idem XIX. alii Episcopi scriptis ad Regem atque ad summum Pontificem Epistolis palàm sic defenderunt, ut etiam Collegas suos omnes damnarent, quibus silentium illud non probabatur. Ex eâ collatione, Præsul Illustrissime, tu ipse dispice, num silentium illud, quod utrimque fuit idem, Doctores longè leviore culpâ usurpaverint quàm Episcopi.

5. Illud verò, Præsul Illustrissime, vereor ne dicenti mihi ignoscas, quod tamen ut dicere audeam veritas ipsa compellit. Non memini videre me quidquam indignius illa comparatione, quam instituis inter voces *Consubstantialis*, & *silentium*

*obsequiosum*. Non ignoro Consubstantialis vocem repudiatam esse ab Antiochenis Patribus, veritis nimirum ne eam Sabelliani ad pravum suum sensum interpretando detorquerent. Neque ignoro, posteà sublato perversi illius usûs metu, vocem eandem à Concilio Nicæno delectam, quam nempe Ariani formidarent potissimùm, ut maximè accommodatam ad definiendam Verbi divinitatem. Verùm illud denique contigit, ut eam vocem Ecclesia universa complecteretur, eamque ut genuinam in symbolo catholicæ fidei tesseram summo studio retineret. Licebitne, obsecro, vocem ejusmodi Ecclesiæ usu probatam & quasi consecratam conferre cum silentio obsequioso, quod nullo unquam sensu usurpatum est, nisi offensionis atque invidiæ pleno, quod stare prorsus cum formulæ jurejurando non potest, quod jam pridem à Clemente IX. repudiatum, nunc denique à Clemente XI. & Episcopis omnibus æternâ damnatione confixum est ?

Nullum igitur firmamentum habet ea distinctio, quam comminisceris inter utrumque silentium obsequiosum, quo jam uno præsidio tua causa nititur. Fatearis oportet, Præsul Illustrissime, unum atque idem esse silentium obsequiosum, quod Doctores 40. defenderunt, eâdem planè ratione temperatum ac veluti conditum, quam tu vis adhibitam esse ab Episcopis XXIII. Neque ideò silentium illud damnatum est, quia non servabatur; damnatio enim eo sensu accepta, redundaret in ipsius silentii laudem, atque eos tantùm im-

peteret, qui illud non servarent. Damnatum fuit eo uno nomine, quòd non satis esset ad genus illud jurisjurandi, quod Ecclesia pro suâ autoritate ac potestate jurari postulat. Damnatum est, quia jubet Ecclesia, ut qui jusjurandum adhibet, credat certâ atque absolutâ fide, & sine ullo erroris periculo factum illud, quod jurejurando testatur. Eo scilicet nomine silentium obsequiosum, tam illud quod Episcopi, quàm illud quod Doctores approbavere, sanctæ Sedis Constitutione, & Episcoporum Mandatis proscriptum est, & gravissimis omnium notis censurisque confixum. Qui illo utuntur, dicuntur *eò impudentiæ devenisse, ut veluti naturalis honestatis, nedum Christianæ sinceritatis obliti* sint, dicuntur *Ecclesiam ipsam jurejurando decipere*, dicuntur *usu ipso favere perjuriis*, dicuntur adhibere *probrosam dissimulationem, eamque cum perjurio conjunctam.* Ea opprobria sunt, quæ ego à XXIII. Episcopis depellere volui: ea sunt, quæ tu ferre non potes ut ab iis ope meâ depellantur.

## IV.

Non est æquitatis tuæ, Præsul Illustrissime, committere, ut vulgò existimetur nostra hæc controversia versari circa sententiam quamdam absurdam, abhorrentem à communi omnium sensu, exaggeratam, quam Illustriss. Dominus de Marca commentus fuerit, & quam ego unus omnium post ipsum Episcopus amplexus studiosè fuerim. Ut pateat quo sint res loco, omittamus parumper eam quæstionem, quæ est de infallibilitate Ecclesiæ

in textibus dijudicandis, hæreamusque in eâ quæstione, num ad jusjurandum necessaria sit certa facti fides, num silentiū obsequiosum satis sit. Ubi ponetur ille controversiæ nostræ status, illico quivis intelliget, Episcopos, quotquot sunt, etiam eos, quos tibi familiarissimos esse & conjunctissimos credis, quosque longissimè abesse existimas ab eo, ut Ecclesiam credant non esse in textibus dijudicandis obnoxiam errori, omnes adversum te mirificè consentire. Cardo omnis vertitur in eâ quæstione, num satis sit necne silentium illud obsequiosum, quod non sit cum certâ fide conjunctum. Ponamus vel ad punctum temporis, desciscere me à tuendâ infallibilitate, & satis habere, modò id credat unusquisque, quod à se credi jurejurando interposito testatur, causam habebis non minùs infirmam & omni præsidio destitutam. Id quæso per te mihi liceat, quantum patitur libertas evangelica, demonstrare.

Cùm ad me confutandum descendisti, illud scilicet agebas, ut XXIII. Episcoporum honori consuleres. Atqui manifestum est, quosdam Episcopos, quibus persuasum esse credis, posse Ecclesiam in textibus dijudicandis errare, silentium obsequiosum, quale à te defenditur, non minori studio repudiare, quàm à me repudiatur; fidem certam non minùs acriter postulare, quàm à me postulatur. Illa facilis & expedita ratio, in obsequioso silentio posita, videtur ipsis æquè ac mihi *probrosa quædam dissimulatio, eaque cum perjurio conjuncta.* Nihil igitur præstas ad purgandos E-

piſcopos XXIII. niſi adverſus Conſtitutionem & tot Epiſcoporum Mandata demonſtres, jurare ei licere, qui factum certâ fide non credat, modò ſpondeat ſilentium obſequioſum à ſe ſervatum iri, eâ ratione attemperatum, quæ non à te modò, ſed à 40. Doctoribus adhibetur. Ponamus igitur ad temporis punctum, id quod nolim deinceps in noſtrâ diſceptatione poni, poſſe Eccleſiam pro ſuo jure certam facti fidem jurejurando interpoſito poſtulare, quamvis nullam eatenus infallibilitatem habeat ſibi promiſſam. Id ſi ponatur, vel me tacente, inſurgent in te ſummus Pontifex, Epiſcopi omnes, ſcriptores etiam è ſecta præcipui, qui in eam ſententiam adverſum te conſpirant, ut prædicent, cùm ſilentium illud tuum, vel maximè obſequioſum, non complectatur certam facti fidem, induci perjurii uſum, ſi liceat illi jurare, qui ejuſmodi ſilentium profiteatur, quamlibet obſequioſum, quâlibet ratione temperatum ac mitigatum. Itaq; non pertinet ad approbandam XXIII. Epiſcoporum cauſam, ut infallibilitatem in textibus dijudicandis ab Eccleſiâ removeas. Etiamſi eam accuratis argumentis refelleres, non obtineres tamen id, quod XXIII. Epiſcoporum nomine contendis, ſilentium obſequioſum ſatis eſſe. Etiamſi eâ in re me redarguiſſes, ſic ut nullum reliquiſſes evadendi locum, non minùs te premeret, tum Apoſtolicæ Sedis atque Epiſcoporum, eorum etiam quos numeras in tuis, autoritas, tum argumenta hominum è ſectâ. Cum his tibi, non mecum uno res eſt; his niſi reſponderis, univerſa videtur ad-

versum te Ecclesia decernere & pronunciare. Omittamus igitur illud, cujus disquisitio neque tuam causam adjuvare potest, neque XXIII. Episcoporum rationi approbandæ prodesse. Hæreamus in eâ quæstione, de quâ expectat Ecclesia ut dicas apertè quid sentias, num scilicet satis sit adhibere silentium obsequiosum, an verò necesse sit certam habere fidem ejus rei, cujus fides interposito jurejurando affirmatur.

V.

Quid indè præterea consequatur, nescio, Præsul Illustrissime, an sis æquo & pacato animo accepturus. Frustra operam in eo posuisti, ut infallibilitatem Ecclesiæ in dijudicandis textibus confutares, siquidem illâ quæstione sepositâ, unus tu, Ecclesiâ universâ repugnante, silentium tuum obsequiosum approbas & satis esse contendis. Tria erant admodum, è quibus unum præstare te oportuit. Primum in eo positum erat, ut dilucidè probares, posse eum jurare, qui non crederet factum illud, quod à se credi juramento confirmaret. Id profectò neque facile erat ad probandum, neque patitur integritas illa tua rectique mores, ut probandum ullo pacto suscipias. Alterum fuit ut demonstrares, non posse Ecclesiam jusjurandum exigere. Illud verò usque adeò abhorrens fieri à te pietas eximia tua non sinit. Tertium restabat ut fatereris, XXIII Episcopos, delusos illâ ad fallendum comparatâ distinctione inter jus & factum, non satis attendisse, vel quale esset hoc jusjurandum, quo fides certa significatur, vel quam latè

pateret autoritas Ecclesiæ, quæ adigere ad jusjurandum potest, atque adeò fidem tam certam postulare, ut nullus sit metus, nullum periculum erroris in eo tenendo, quod ab eâ decretum atque imperatum fuerit. Postremum illud si maluisses, potueras sanè sic repudiare ea, quæ ego ad defendendam XXIII. Episcoporum mentem proposueram, ut tamen gratiam aliquam haberes mihi, quòd in eorum causâ tuendâ studium, fidem, diligentiam adhibuerim. Modesta ista & ingenua confessio & tibi gloriam attulisset, & Ecclesiæ consolationem, & nullo modo pertinuisset ad Episcoporum illorum probrum ac dedecus. Usurpasses de illis hæc verba, quæ ex ipsâ tuâ Epistolâ desumo: * *Etiamsi XXIII Episcopis error aliquis*, in tuendo nimirum obsequioso silentio, *esset objectus, neque ea providissent animo*, quæ ex eo deduci possunt, *ipsis tamen solatio posset esse id, quod tot magnis viris, quod vel Sanctis contigit.* Ita sanè, Præsul Illustrissime, solatio non caret error ille, qui & non nisi bonâ fide admissus est, & ingenuè ac modestè agnoscitur. Idipsum est, *quod tot magnis viris, quod vel sanctis contigit.* Ipsis etiam error aliquis objectus est in iis quæ pertinerent ad fidem. Erravit S. Cyprianus, egregius ille Doctor, ille Martyr invictus, cum 80. aut circiter Africæ Episcopis eruditis, in rebaptizationis dogmate. Errabat eodem tempore atque in eâdem re, cum pari ferè Illustrium Episcoporum ex Asiâ numero, eximius ille Firmilianus. S. Hilarius Arelatensis atque alii sancti Galliarum Episcopi errabant in

* *Pag. 97.*

eo dogmate, quod pertinet ad gratiam & prædestinationem, ut ex sanctis Hilario & Prospero discimus. Atque ipse S. Augustinus confitetur, se in eodem fuisse errore versatum, etiam postquam creatus fuit Episcopus, usque ad tempus illud, quo libros ad Simplicianum conscripsit. Præterea quamdiu vixit, videtur ignorasse veram Ecclesiæ traditionem de creatione animarum eo ipso temporis puncto, quo Deus eas jungit corporibus; atque illum quidem eâ de re semper incertum ac dubium mansisse, ex ejus retractationibus apparet. Mirumne igitur videri debet, XXIII Galliæ Episcopos in fraudem inductos eâ distinctione, quæ speciem aliquam habet veri, estque maximè apposita ad fallendum, non satis attendisse quàm æquum foret, & Ecclesiæ jusjurandum postulanti concedere, & jurijurando fidem certam atque absolutam adjungere? Neque facere debet error ille, ut eos minùs jam observemus ac veneremur. Hoc ipsis contigit, *quod tot magnis viris, quod vel sanctis contigit*. Non est meum, id quod tu existimas, committere, ut eos propterea *perjurii* & simulatæ pietatis incusem. Nam quis ego sum, ut corda scrutari & intimos animorum recessus aperire & dijudicare audeam? Equidem id unum ago, ut defendam illud, quod generatim à S. Augustino & S. Thomâ de jurejurando sancitum est. Sed longè sum ab eo, ut ullius impietatis reos agam Episcopos reverentiâ dignos, qui suâ pietate Ecclesiam illustrarunt, & quibus error potuit objici, quemadmodum *tot magnis viris*, quemadmodum *vel*

*sanctis* objectus est. Nam quòd Illustr. Archiepiscopi Rhemensis exemplum opponis, poteras illo exemplo adduci ad illud confitendum, quod & ad gloriam tuam cederet, & ad Ecclesiæ consolationem. Scripserat is quidem ad D. Vivant, sibi videri *maximè accuratam ...... D. Hennebellii declarationem ...... oportere omnino ut Catholicus quivis in captivitatem redigat intellectum, & quinque Propositiones jure damnatas esse credat ..... quantum verò ad factum pertinet, ..... post illa omnia, quæ in eâ causâ transacta sunt, posse hos Theologos, imò & debere cogi, ut silentio se obsequioso contineant.* Verùm idem ille, postquam diligentiùs investigavit, quid ipsum per se jusjurandum exigat ab iis, qui illud jurant, Mandato suo denique statuit, non satis esse silentium vel maximè obsequiosum, nisi certa fides adjungatur, & jusjurandum, cui fides certa non accedat, *probrosam esse dissimulationem, eamque cum perjurio conjunctam.* Tu verò, Præsul Illustrissime, fateris Episcopis XXIII. * *silentium obsequiosum visum esse accomodatum atque omninò sufficiens* &c. Addis Clementem IX. libenter fecisse, ut † *silentium obsequiosum complecteretur, valdè scilicet accommodatum ad animos omnium ad concordiam revocandos, & reddendam Ecclesiæ tranquillitatem.* Atqui illud idem est silentium obsequiosum, quòd universa jam reprobat ac damnat Ecclesia. Si tu in eo damnando Ecclesiæ fueris assensus, non dici potest, quantis te laudibus Ecclesia sit prosecutura.

* *Pag.* 81. † *Pag.* 85.

VI.

Redeamus jam, Præsul Illustrissime, ad eam doctrinam, quæ tibi videtur tam absurda, de infallibilitate Ecclesiæ in textibus dijudicandis.

1. Attuli verba quibus promissum Christi continetur: *Ite, docete .... & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Docere*, est textus facere, seu attexere verba, componere seriem contextumque verborum; est condere symbola, canones, aut alia ejusmodi decreta; est textus quosdam probare & facere suos; est textus alios repudiare ac damnare; est textus eos, quibus traditionis veræ series continetur, secernere ab iis, quibus traditio falsa constat. Atqui promittit Christus, se fore *omnibus diebus* cum Ecclesiâ suâ docentem; hoc est, cum eâ textus facientem, ad eos textus dijudicandos, quibus fidei depositum aut conservatur aut corrumpitur, ex quibus aut vera aut falsa traditio coalescit. Restat igitur illud inquirendum, an Christus esse possit cum Ecclesiâ *omnibus diebus*, sic ut malè ac perversè cum eâ doceat, hoc est, textus corruptos approbet, puros verò & incorruptos damnet. Intelligis, Præsul Illustrissime, vel nudis promissi verbis, si religiosè ac simpliciter accipiantur, illud ipsum contineri quod defendo. Illæ ipsæ voces, ut sonant acceptæ, omninò pro me faciunt. Voce *docendi*, nemo est, nisi qui eam ad sensum alienum & minimè ferendum detorqueat, qui non intelligat contineri textus dogmaticos; quibus populi erudiuntur. Non dicit Christus, (Ite, cogitate, judicate;

dicate

dicate, credite:) imò dicit, (*Ite, docete*) hoc est (facite textus, de textibus per alios textus ferte judicium, condite symbola, canones, aut alia ejusmodi decreta; textus quibus vera traditio constat, secernite ab iis textibus quibus constat traditio falsa: *& ecce ego vobiscum sum*, vobis eo præcipuo atque insigni munere fungentibus adero.) Etiamne inducendæ novitatis accusabitur Episcopus is, qui Christi promissum affert pro suâ sententiâ decretorium? Evangelicorum verborum vim non potes nisi ea contorquendo effugere; ea interpretari ne aggrederis quidem. Tu, cùm proponere nihil queas ad illa, quæ ex sacro textu deprompta profero, arguis me quasi novum quoddam & insolens dogma proponam. Illud à te, quæso, Præsul Illustrissime, exorem, ut vel accuratè respondeas, vel fatearis, id quod ego defendo tam antiquum esse, quàm ipsum Evangelium, cujus scilicet verbis nudè ac simpliciter acceptis nititur.

Ostendi præutereà, promissam hanc infallibilitatem veterum Conciliorum doctrinâ atque usu manifesto esse comprobatam. Quintum præ cæteris Concilium attuli, quod non nisi de trium textuum hæreticitate pronunciavit. De his tribus, quæ scilicet facta appellantur, Spiritûs sancti nomine & promissionum, quas commemorat, vi atque autoritate decernit. Occidens denique cum Oriente in illo decreto firmando conspirat. Igitur Catholica Ecclesia universa jam à sæculis undecim hanc infallibilitatem in textibus dijudicandis manifestè adhibitam fuisse profitetur. Discussis sin-

gulis sanctorum Patrum locis demonstravi, traditionem eam, quam secta nobis opponit, falso & per calumniam jactari, atque eam quam defendo autoritatem a sanctis Patribus admissam fuisse. Ostendi S. Thomam, quem omnis deinceps Theologorum cœtus ab annis quingentis eâ quidem in re secutus est, statuisse Ecclesiæ de textibus judicanti credi oportere, quamvis ei credi non semper necesse sit, quamvis & ei modestè ac reverenter contradicere liceat, judicanti *de factis particularibus*, in quibus non est immunis ab erroris periculo. Tu verò num ea omnia loca paulò diligentiùs excussisti? num ad ea, quæ illis ex locis colligo, respondisti? Pace hoc dicam tuâ, ne leviter quidem attigisti. Denique ostendi, Cardinales de Turrecremata, Baronium, Bellarminum, Pallavicinum, Richelium, Patres Sirmundum & Petavium hoc unum habuisse, quòd Ecclesiam in propriâ atque intimâ Scriptorum mente dignoscendâ crederent esse obnoxiam errori; verùm censuisse prorsus, id quod nos censemus, ac disertis verbis esse testatos, Ecclesiam esse immunem ab erroris periculo in dijudicandis iis textibus secundùm se sumptis, quibus fidei depositum aut conservari potest aut corrumpi. Jam quid tu reponis, Præsul Illustrissime, ad ipsum Christi loquentis oraculum, ad illam nubem testium, qui in Ecclesiâ Dei sæculis omnibus claruerunt? Transvolas nimirum, atque iis omnibus omissis, quò te fert impetus, progrederis. Priora illa videris neque discutere, neque etiam audire velle,

Ne verbum quidem reponis ad ea omnia, quibus Scriptorum horum sententiam diligenter expendi. Satius tibi videtur illi, qui novemdecim Episcoporum Epistolam conscripsit, credere, hos Theologos pro tuâ sententiâ stare. Brevem sanè & perquam commodam scribendi rationem! hanc qui tenet, potest, cùm nulli argumento respondeat, negare tamen omnia, quæ argumentis efficiuntur; potest ponere probata jam esse omnia, quæ defendit, atque adeò omnem probandi laborem & curam omittere. Verùm necesse est, ut qui velit mea dicta verè refellere, vel singillatim diluat ea argumenta quæ congessi, vel fateatur id quod dubium jam prorsus esse non potest, neminem fuisse inter scriptores Catholicos, ante exortos scriptores è sectâ, qui ausus unquam fuerit negare, Ecclesiam immunem esse ab erroris periculo in iis textibus dijudicandis, quibus fides aut servatur aut corrumpitur; & fallaci illâ captiosaque facti & juris distinctione factum esse, ut hac nostrâ ætate veritas ista, quæ fundamenti locum obtinet, in quorumdam animis obscuraretur.

VII.

At quæso, Præsul Illustrissime, quid reponis ad solemnia & publica Cleri Gallici monumenta?

1. Cœtus anni 1654. constans Præsulibus 40. ita scribebat ad Innocentium X. *Censuimus .... & declaravimus, propositiones illas quinque famosas, & opiniones esse Cornelii Jansenii, & in sensu ejus*

*dem Jansenii à* SANCTITATE *Vestrâ damnatas disertis ac manifestis verbis.* Addebat, *Constitutionem*, quâ Janseniani textûs hæreticitas declarabatur, esse *ordine canonico latam*, atque eos, qui deinceps contradicerent, *pœnis in hæreticos à jure decretis* . . . . . *statim puniendos.* Idem cœtus Epistolâ suâ encyclicâ ad omnes Galliæ Archiepiscopos & Episcopos sic habet : *Homines, qui se Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis amatores sectatoresque profitentur* . . . . . *affirmare, imò & persuadere aliis volunt res duas vanas omnino & inanes; alteram, quinque illas propositiones non esse Jansenii; alteram, damnatas esse eo in sensu, qui ad Jansenium nihil pertineat* . . . . . *cui refellendo revincendoque nihil opus sit rationibus, nihil disquisitione, etiam mediocri aut levi,* SED SOLA PONTIFICIÆ CONSTITUTIONIS, QUÆ PER SE IPSAM REM TOTAM APERTE DIRIMIT, LECTIONE. Prætereà ejusdem Epistolæ verba sunt : Episcopis *ex ipsâ Constitutionis lectione, atque insuper ex opere Janseniano, quod etiam, quantum ad quinque illas propositiones attinet, studiosè legerunt, expenderuntque* ( QUAMQUAM SOLA PER SE AD ID SUFFICIAT CONSTITUTIO ) *manifestum ac perspectum fuit; illas quinque propositiones verè esse Jansenii, & damnatas esse in vero ac proprio verborum sensu, & eo planè quo à Iansenio traduntur & explicantur.*

Quare si illis Præsulibus credimus, non jam id agebatur, ut vel legendus esset Jansenii textus, vel oculorum judicium consulendum, vel de evidentiâ rei disceptandum; neque *opus* erat ullâ *dis-*

*quisitione, etiam mediocri aut levi*; restabat illud unum, ut suos quisque oculos veluti præcluderet, se ipsum non audiret, audiret Ecclesiam, quæ *ordine canonico* pronunciaverat, intellectum in captivitatem redigeret, postquam Episcopi ad Apostolicæ sedis oraculum confugissent, & Petrus confirmasset fratres suos; quod qui non faceret, *pœnis in hæreticos à jure decretis* esset *puniendus.* Hanc scilicet supremam atque immunem ab erroris periculo, in eo quod factum dicitur dijudicando, potestatem jam tum Episcopi 40. ultrò agnoverunt.

2. Cœtus anni 1656. item Præsulum 40. iisdem vestigiis inhærens ita scribebat ad summum Pontificem: *Nova secta discipuli .....ut à capitibus suis fulminis Apostolici amoliantur ictum .....ad facti quæstionem, in quâ Ecclesiam falli posse docent, controversiam deducere nituntur.* Verùm *Breve Apostolicum.... decisionis autoritate ad juris quæstionem restrictâ, doctrinam Iansenii, quam opere suo ille explicuit, in propositionum confixarum materiâ, Pontificiâ constitutione damnatam esse declarat.* Ergo iterum Præsulum 40. cœtus decernit, veram de Janseniani textûs hæreticitate quæstionem non esse *facti quæstionem, in quâ Ecclesia falli possit*, sed *juris quæstionem*, in quâ Catholicus nemo dubitat, quin Ecclesia sit immunis ab erroris periculo. Hi Præsules 40. pugnant, non hîc agi de *syllabarum tricis*, quod homines è sectâ persuadere conabantur, neque de facto ejusmodi, quod totum esset penes oculorum judicium, verùm de quæstione juris

circa eum textum, quo hæreses quinque continebantur. Si mihi textum aliquem liberet arbitratu meo scribere, possemne optare ullum magis accommodatum ad illud quod defendo, aut magis decretorium? Anno 1654. Præsules 40. decernunt, non jam esse disquirendum, non disceptandum, sed *puniendos* quasi *hæreticos*, qui vellent adhuc de evidentiâ inquirendâ disputare; quia scilicet ad hæreticitatem illam decernendam, *sola per se sufficit Constitutio.* Deinde anno 1656. Præsules item 40. affirmare non dubitant, veram quæstionem, si rite intelligatur, esse *juris quæstionem, non facti quæstionem, in quâ Ecclesia falli possit.* Futurumne unquam sperasti, Præsul Illustrissime, ut XXIII. Episcoporum autoritas cum utriusque hujus cœtûs autoritate componi atque etiam eam vincere posset?

3. Qui verba tam decretoria legerit, is profectò non mirabitur, eumdem cœtum anni 1656. his verbis usum esse in expositione deliberationum Cleri Gallici: * *Quod spectat ad errorem facti...... operæ pretium est subjungere ...... hunc locum non habere in controversiis facti necessariò conjuncti cum fidei dogmatibus.... Hanc traditionem, quæ in facto consistit, declarantis Ecclesiæ eadem est infallibilis, quæ de fide judicantis autoritas.* Illud velim advertas, Præsul Illustrissime, dici aliquo sensu posse, *traditionem* non nisi *in facto consistere*, hoc est, in eo tantùm esse positam, an Ecclesia semper hoc vel illud dogma docuerit, an iis textibus, ex quibus ejus traditio coalescit, hæc vel illa doctrina significetur. Ejusmodi facta, si tamen facta sunt

* *Relat. des delib. pag. 20.*

appellanda, sejungi prorsus à jure non possunt. Hinc igitur patet, hos 40. Præsules sic statuisse, non posse factum à jure sejungi. Quod dum statuunt, non modò nihil exaggerant, sed & minus quidpiam dicere videntur, quàm quod scriptâ ad summum Pontificem epistolâ pronunciaverant. Nam in epistolâ quidem affirmant, quæstionem hanc de Ianseniani textûs hæreticitate *juris* esse *quæstionem, non facti*: sed in expositione verba etiam adhibent ab aliis desumpta, atque illud, quod factum dicitur, pronunciant saltem esse factum ejusmodi, ut à jure sejungi non possit, quia traditio, quæ tota posita est in eo factorum genere, pendet à textibus, quibus aut servatur aut corrumpitur. Quid est igitur, Præsul Illustrissime, quòd solum Dominum de Marca facis autorem illius sententiæ, quam suam tum fuisse omnes Episcopi, publicis instrumentis ultrò profitentur? * *Jussit* cœtus universus, *ut omnes, tum Episcopi, tum ex secundo ordine delegati, huic expositioni in actis perscriptis nomen suum apponerent.* Cùm ii, qui ad rem totam cognoscendam fuerant delecti, *retulissent quid sibi videretur*, de eo ipsorum consilio *deliberatum est per provincias, atque illud universis fuit acceptum.* Extant & hæc verba: *Placuit expositionem, quæ probata est ab universo cœtu, in acta referri.* Cœtus prætereà scriptis ad Reginam atque ad Card. Mazarinum litteris expositionem hanc misit tamquam suam; jussit ut eâ suo nomine mitteretur ad Episcopos omnes qui in provinciis degerent: missa est ad eos expositio, prout fuerat

* *Pag. 25.*

imperatum. Potuitne unquam ullum monumentum approbari atque illuſtriori quodam modo agnoſci? Denique cùm in cœtu anni 1675. quidam conqueſti eſſent, hujus expoſitionis, quæ ſectam tantopere premeret, *exemplaria omnia vel diſtracta eſſe, vel ſublata, ſic ut nullum jam reperiri poſſet, cœtui viſum eſt, procurandam eſſe editionem alteram .... atque hac cura demandata Illuſtr. Domino De Harlay Archiepiſcopo Pariſienſi, qui huic cœtui praerat.* Expoſitio igitur eadem illo procurante typis iterum eſt edita.

Hæc ſunt, ni fallor, vel præcipua quæ ad hujus controverſiæ hiſtoriam pertinent. Verba tantùm refero ex inſtrumentis ſolemnibus deprompta, neque temporum ſeriem perturbo, ſiquidem ſuam cuique adjungo temporis notam. At fierine potuit, Præſul Illuſtriſſime, ut ea ſic geſta eſſe neſcires, quæ tuâ ætate geſta ſunt? An verò, quæ ſciebas, prudens ac volens tacenda duxiſti? Quid eſt, quòd Illuſtr. Dominum de Marca ſolum autorem facis ejus ſententiæ, quam inſtrumenta publica fidem faciunt ipſi fuiſſe cum duobus his frequentiſſimis cœtibus communem? Si addideris comitia anni 1675. comperies Epiſcopos centum & ampliùs huic ſententiæ ſubſcripſiſſe, quam tu veluti novam & inſolentem atque abſurdam contemnis. Sed alia quædam ſunt etiam graviora.

Inſpiciamus quinam in his cœtibus ſcribendo adfuerint. Nimirum adfuerunt anno 1654. Illuſtr. Gondrin, Archiepiſcopus Senonenſis, Illuſtr. de Choiſeul, Convenarum, deinde Tornacenſis Epiſ-

copus, Illuſtr. De Laval, Leonenſis; deinde Rupellenſis, Illuſtr. Faure, Ambianenſis, Illuſtr. de Guron Tullenſis Epiſcopus, deinde Convenarum. Hi quinque ſunt inter XXIII. Epiſcopos. Jam verò in cœtu anni 1656. comperiemus eumdem Archiepiſcopum Senonenſem, eoſdem Epiſcopos Ambianenſem ac Tullenſem : accedunt Illuſtr. Godeau, Epiſcopus Vincienſis, quem ſecta ſuum eſſe tantopere prædicavit, Illuſtr. Vialart, Epiſcopus Catalaunenſis, Illuſtr. De Perochel, Epiſcopus Bononienſis, Illuſtr. De Pericart, Epiſcopus Engoliſmenſis, Illuſtr. de Levy, Epiſcopus Mirapiſcenſis, Illuſtr. de Marmieſſe, Epiſcopus Conſoranus. Hos ſex ſi ad quinque ſuperiores adjungas, comperies inter illos XXIII, eſſe omninò undecim, qui ſcripto teſtati ſint, ſe alia omnia ſentire, quàm quæ tu eos ſenſiſſe fingis. Præterea Illuſtr. Pavillon Epiſcopus Aletenſis diu ſic exiſtimavit, jusjurandum jurari nudè ac ſimpliciter debere, nullâ exceptione adhibitâ, atque adeò credi debere illud quod factum dicitur, ſublato omni metu ne eâ in re nos Eccleſia in errorem inducat. Neque prætereundum eſt, Illuſtr. Choart de Buſenval Epiſcopum Bellovacenſem ſubſcripſiſſe Epiſtolæ ſcriptæ à cœtu anni 1654. Quare ex quatuor Epiſcopis duo ſunt qui planè ſenſerant, contrà quàm eos poſteà ſenſiſſe commemoras. Præterea ex Epiſcopis XIX. numeramus Epiſcopos undecim, qui ſuâ ſubſcriptione teſtati erant, ſibi Eccleſiam videri in ejuſmodi judiciis non obnoxiam errori. Ad hæc qui attenderit, næ is parum

tribuet autoritatis Epiſtolæ illi à XIX. Epiſcopis conſcriptæ. Et illud obſervandum venit, anni 1656. deliberationi planè decretoriæ ſubſcripſiſſe plurimos ex iis, qui tum erant ordinis ſecundi, ac paulò pòſt ad primum ordinem ſeu Epiſcopalem aſſumpti ſunt. Inter eos ſunt D. de Bonzi, poſteà Cardinalis atque Archiepiſcopus Narbonenſis, D. Poncet, poſteà Bituricenſis Archiepiſcopus, D. de Villars, Archiepiſcopus Viennenſis, D. de Carbon, Arch. Senonenſis, alter D. de Carbon, Archiepiſcopus Toloſanus; Archiepiſcopi nimirum quinque, quos inter unus Cardinalis etiam fuit. Adde D. de Neſmond, Epiſcopum Bajocenſem, D. de Quemadev, Epiſcopum San-Maclovienſem, D. de Gordes, Epiſcopum Lingonenſem, D. de Bertier, Epiſcopum Rivenenſem, & D. de Ligny, Epiſcopum Meldenſem. Vides, quanta ſe nobis turba Præſulum offerat. Neque illud omittendum, hunc Meldenſem Epiſcopum unum eſſe ex novemdecim. Quare ex illis novemdecim, quorum Epiſtolam totam eſſe in infallibilitate impugnandâ contendis, ſunt omnino duodecim, qui infallibilitatem eamdem ſuâ ſubſcriptione firmaverant. Etiamne, Præſul Illuſtriſſime, ſolus ego poſt D. de Marca ejus ſententiæ autor eſſe dicar, quam propugnatam eſſe comperies à frequentiſſimis Archiepiſcoporum & Epiſcoporum cœtibus, imò & à duodecim Epiſcopis inter illos XIX. quos tu teſtes atque autores appellas?

VIII.

SED Veniamus, Præſul Illuſtriſſime, ad auto-

ritatem tuam hoc est ad autoritatem cœtûs anni 1660, cui tu delegatus interfuisti. Illius verba sunt: *Quia nonnulli variis nominibus & causis has subscriptiones* (agebatur de formulâ) *impedire contendunt, frequens cœtus pronunciat, quinque propositiones . . . . damnatas esse eo sensu, quo ab autore tradita sunt, ita ut, qui contradicentes ac rebelles fuerint, habendi sint hæretici, atque iis pœnis castigandi, quæ iisdem constitutionibus decernuntur.* Addebas cum eodem universo cœtu, *Jansenii doctrinam uno totius Ecclesiæ consensu hæreseos damnari.* Quare tibi sic erat persuasum, *totam Ecclesiam* tum de jure, tum etiam de facto pronunciasse. Sed quinam sunt illi, quos tu *contradicentes & rebelles* appellabas? illi sanè, qui *variis nominibus & causis* formulæ *subscriptiones impedire contendebant.* Agebatur de ipsis sectæ Capitibus atque architectis, qui adduci non poterant ut subscriberent, quia integram quidem, quantum ad jus pertineret, fidem ultrò pollicebantur; verùm negabant se juraturos unquam in ea verba, quibus facti fides significaretur, & se intra silentium obsequiosum continebant. Anno 1660. jubebas homines ejusmodi, qui se S. Augustini discipulos dicebant, *haberi hæreticos*, atque ut tales *castigari.* Non dicebas id tantùm, eos fore suspectos hæreseos, non tantùm eos castigandos iisdem pœnis, quibus solent hæretici castigari; sed illud addebas prætereà, illos *habendos esse hæreticos*, hoc est, judicandos atque existimandos.

Si ponitur id quod poni decet, vestrum istum

anni 1660. cœtum iisdem institisse vestigiis, quibus institerat cætus anni 1656. vester articulus tertius accuratè atque ad amussim verus est. Cœtus anni 1656. decernit, quæstionem de Janseniani textûs hæreticitate non esse *facti quæstionem, in quâ falli possit Ecclesia*, sed *quæstionem juris*. Hanc quæstionem decidentis *Ecclesiæ eadem est*, inquit, *infallibilis, quæ de fide judicantis autoritas*. Atqui dubitari non potest, quin ille sit hæreticus, qui obstinatè negat, Ecclesiam esse immunem ab erroris periculo in eâ re dijudicandâ, quæ promissionibus continetur. Hæreticus est, qui non vult Ecclesiæ credere *de juris quæstione* judicanti. Ergo accuratè atque ad amussim verum est, ex iis quæ à cœtu anni 1656. constituta sunt, eos qui nolebant id quod factum dicitur credere, *habendos fuisse hæreticos*. Præerat isti vestro cœtui Illustr. de Marca, & decreti vestri verba pronunciabat. Quare mirum non est ipsum noluisse ullo pacto labefactare aut minuere illud, quod ante annos quatuor cum Præsulibus 40. decreverat, imò illud ipsum sedulò confirmasse. Et verò tu ipse confessus es, Præsul Illustrissime, *tertium* hujus cœtûs *articulum, qui est de obsignandâ formulâ, his verbis esse perscriptum, quæ illius Archiepiscopi doctrinæ faveant*? Gravem sanè & memoratu dignam confessionem! Confiteris igitur te huic de infallibilitate doctrinæ subscribendo favisse. Sed parum est favisse, hanc ipse doctrinam approbasti & fecisti tuam. Vellesne, obsecro, eos Theologos *habere hæreticos*, qui nullius hæreseos essent

rel ? Vellesne eos hæreticis idcirco annumerare, quia merum factum, quod esset planè sejunctum à jure, neque ad fidem ullatenus pertineret, nollent credere, aut quia non auderent imperare sibi jusjurandum, freti eâ solâ autoritate, quæ incerta foret & fallax ? Accusares certè eorum confidentiam aut pervicaciam: sed qui nullâ verâ hæresi essent infecti, non *haberes hæreticos*. Imò neque castigares quasi contumaces, si modò bonâ fide niterentur facti fidem assequi, atque hæc foret eorum oratio: ( Jurare nos non possumus, nisi certò credamus, neque certò credere, nisi eam certam fidem faciat vel ipsa perfecta objecti evidentia, vel autoritas nescia fallere. Verùm hæc duo cùm desint, nihil quidquam possumus polliceri præter silentium maximè obsequiosum, quo continetur reverentia, fiducia, obsequium intimum, cætera denique omnia præter fidem certam, quam nobis ipsi tribuere non possumus. Si fidem certam Ecclesia postulat, faciat ut certò credere possimus, atque id ut assequatur, pronunciet se in decernendo falli & fallere nesciam esse. Id ubi pronunciaverit, credemus eam esse immunem ab erroris periculo. ) Hos, quæso, tu privabis Ecclesiasticâ communione ? hos *habebis hæreticos* ? Atqui habuisses hæreticos anno 1660, ex tertio vestro articulo: sed non habuisses hæreticos ex epistolâ à vobis subscriptâ anno 1667. Erat anno 1660. verè hæreticus, dignusque qui *hæreticus haberetur*, quisquis Ecclesiam negabat esse in textibus dijudicandis immunem ab erroris

periculo, quia tum res ea pertinere credebatur ad quæstionem juris. Verùm anno 1667. illa ipsa infallibilitas visa tibi est *dogma novum atque inauditum*, quo Episcopi XIX. tum apud summum Pontificem, tum apud Regem professi sunt quosdam homines præferoces uti ad vexandos quatuor Episcopos, & S. Augustini discipulos. Verùm ut omittamus jam disquirere, num tertius iste anni 1660. articulus, cum superiorum cœtuum placitis consentiens, anteponi debeat Epistolæ vestræ anni 1667. cui ab uno è sectæ Capitibus præformatæ Episcopi XIX. subscripserunt, illud certè non potes diffiteri, vestri tertii articuli verba per se sumpta esse planè decretoria. Si debet *haberi hæreticus*, qui non credit Ecclesiam esse in textibus dijudicandis immunem ab erroris periculo, illa infallibilitas haberi debet veritas revelata, cujus nempe negatio sit hæresis. Te igitur ipsum, Præsul Illustrissime, numerare possumus inter eos Episcopos, qui suâ subscriptione approbaverunt illam ipsam infallibilitatem, quam nunc oppugnare non dubitas.

Cæterùm huic cœtui anni 1660. scribendo affuerunt Archiepiscopi vel Episcopi 45. inter quos est Illustr. D. de Harlay, tum Archiepiscopus Rhotomagensis, posteà Parisiensis, quem tamen nobis opponere cõtendis. Et verò idem ille in cœtu anni 1654. rem eamdem approbaverat. Occurrunt & nomina Ill. De Bassompierre, Episcopi Santonensis, & Ill. de Bourlon, Episcopi Suessionensis, qui duo sunt ex Episcopis XIX. quosque si ad

duodecim illos, *quos* suprà memoravimus, adjungas, erunt omninò quatuordecim. Tu igitur, Præsul Illustrissime, decimus quintus es ex XIX. inter eos, qui infallibilitatis dogmati subscripserunt. Non appello Ill. de Pericart, Episcopum Engolismensem, Ill. de Laval, Episcopum Leonensem, deinde Rupellensem, Ill. Faure, Episcopum Ambianensem, Ill. de Guron, Episcopum Tullensem, qui eidem huic doctrinæ, cui jam ab anno 1656. subscripserant, iterum anno 1660. subscripsere. Omitto & illos ex secundo ordine delegatos, qui deinde ad primum æquè ac tu evecti sunt: hos inter sunt Ill. de Bethune, Episcopus, dum viveret, Aniciensis, Ill. de Matignon, Episcopus Lexoviensis, Ill. de Carbon, Archiepiscopus, dum viveret, sive Senonensis, sivè Tolosanus, Ill. Colbert, Episcopus quondam Altissiodorensis, Ill. Bochart, Episcopus Claromontanus, Ill. de Beauvau du Rivau, Episcopus quondam Sarlatensis, Ill. Colbert de S. Pouënges, Episcopus quondam Matisconensis, & Ill. Toreau, Episcopus, dum viveret, Dolensis. Potest etiam animadverti, tres ex illo cœtu Præsules fuisse Cardinales, nempe Cardinalem Estræum, Card. de Bonzi, & Card. Jansonium de Forbin. Ex iis Estræus paulò pòst in componendo quatuor Episcoporum negotio *adhibitus*, & primarum partium actor fuit. Hi Præsules omnes eam, de quâ disputamus infallibilitatem suâ subscriptione, approbaverunt, hi omnes reprobaverunt silentium vel maximè obsequiosum, qualibet tandem

tatione attemperatum ac mitigatum. Itaque si numerum inire placet, in cœtibus annorum 1654. 1656. 1660. & 1675. comperientur esse Præsules Galliæ 180. & ampliùs, tam Cardinales quàm Archiepiscopi vel Episcopi, quos inter locum habes, Præsul Illustrissime, qui ante me propugnaverunt, conceptisque verbis docuerunt eam infallibilitatem, quæ hodie tibi tantopere contemnenda ac nova videtur. Inter tuos illos XIX. Episcopos quindecim reperiuntur, qui eam propugnaverint: soli supersunt quatuor, nempe qui tum erant Episcopi Lutevensis, Aginnensis, Rhedonensis, ac Trecensis, qui non interfuerint his cœtibus, quibus contraria sententia perscriptis omnium autoritatibus firmata est. Atque hinc intelliges, quid ponderis habere possit vestra hæc Epistola, tum contra ipsos, tum contra innumeros Præsules, variis temporibus congregatos.

IX.

DECRETORIUM illud argumentum, quod à vestro anni 1660. cœtu desumitur, eludere non potes, Præsul Illustrissime, nisi defendas hunc esse Ecclesiæ morem, ut homines quosdam, quos rectè novit non esse hæreticos, cùm hæresim nullam propugnent, *haberi* tamen velit *hæreticos*, atque iisdem pœnis, quibus hæreticos, castiget, quia non obtemperant in aliquâ re, quæ ad meram disciplinam pertineat.

1. Verum quidem est illud quod annotasti, Victorem Papam visum fuisse sic affectum animo, ut vellet à fidelium communione segregare

Asiaticos

Asiaticos illos, qui Pascha eodem quo Judæi die celebrare obstinatè volebant. Sed idem ille à S. Irenæo exoratus, Ecclesias illas suâ consuetudine uti denique tulit. Quid verò ejusmodi exemplo te effecturum speras ? Certè ut aliquid efficeres, quod tuam causam adjuvaret, probares primùm, quæstionem eam Victori Papæ visam esse ejusmodi, ut non nisi ad disciplinam pertineret; deinde, eum voluisse nihilominus ut illi Asiatici *hæretici haberentur*. Atqui manifestum est, neutrum à te effici ullo argumento posse. Nam primùm quidem par est credere, quæstionem hanc à Victore Papa sic spectatam esse, quasi ad ipsum dogma pertineret. Illud agebatur, num Christiani adhuc legis antiquæ jugo tenerentur; an fruerentur legis novæ libertate; num post Synagogam omninò sepultam Judaïcos ritus ab iis servari ac retineri oporteret. Hoc nimirum dogma de cæremoniis legalibus necessariò retinendis Paulus Apostolus rejecit, præsertim Epistolâ ad Galatas. De hoc dogmate Concilium Apostolorum Jerosolymis habitum, his verbis pronunciavit: *Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil ultrà imponere vobis oneris; quàm hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.* His nimirum verbis decernebatur, nihil ampliùs necesse esse ritus cæteros legales, atque imprimis ritum Paschatis eodem cum Judæis die celebrandi servare. Atque indè nimirum factum est, ut qui fuerunt in illo dogmate defendendo pertinaces atque ob-

ſtinati, habiti fuerint hæretici; quibus *Quartodecimanorum* nomen eſt inditum. Quid mirum igitur, quòd Victor Aſiaticos, qui in eo dogmate defendendo videbantur obſtinati, *haberi* voluerit *hæreticos*?

Deinde verò facilè fieri potuit, ut ejus mentem S. Irenæus ad mitiora conſilia traduceret; quippe Aſiaticos non id agere ut in ſervandis ritibus Judaïcis vetitum dogma tuerentur; ſuas habere conſuetudines, à quibus ægrè diſcederent; facilitate atque indulgentiâ tantiſper adhibendâ futurum denique, ut ab errore illo revocarentur. Præterea non ignoras, Præſul Illuſtriſſime, quàm longè iſta duo diſcrepent, ſegregare aliquem à communione Eccleſiaſticâ, & *habere hæreticum*. Sæpe contingit, ut Eccleſia ſegreget eos à ſuâ communione, qui neque ſunt hæretici, neque ſuſpecti hæreſeos, cùm obſtinatè denegant obedientiam in iis rebus gravioribus, quæ etiam fidem non attingant. Quare vel ſi Victor Papa in illis Aſiaticis ab Eccleſiaſticâ communione ſegregandis ſeveritatem maximam adhibuiſſet, numquam poſſes indè conficere hanc fuiſſe ejus mentem, ut *haberentur hæretici*, cùm eos hæreticos non eſſe ſciret. Id igitur quod opponis, nullâ ratione conſiſtit.

2. Jam quòd adducis S. Cyprianum, cui Stephanus Papa in rebaptiſationis negotio contradixit, exemplum ejuſmodi nulli tibi eſſe uſui poteſt, niſi prius probaveris, Stephanum Papam ſic perſuaſum habuiſſe, rem illam ad ſolam Eccleſiaſticam diſciplinam pertinere, & voluiſſe tamen ut

haberentur hæretici, quotquot cum S. Cypriano sentirent. Atqui hæc duo sunt, quorum neutrum probari potest. Nam illud quidem dicere pace tuâ liceat, non satis verè dixit is, qui ad te retulit, liberam esse in scholis Sorbonicis potestatem ajendi, quæstionem hanc ad meram disciplinam pertinere, nullatenus ad fidem. Non desunt quidem Theologi, qui dicant fieri potuisse ut S. Cyprianus, dum eâ in re à Sedis Apostolicæ sententiâ discessit, quæstionem hanc sibi persuaderet ad meram disciplinam pertinere, unde usurpatum in Africâ morem liceret, etiam salvâ Ecclesiæ unitate, retinere. Sed illud nemo defendet, non pertinere ad ipsum fidei dogma quæstionem hanc, ex Scripturâ sacrâ & traditione discutiendam, validumne sit, necne, baptisma ab homine hæretico in legitimâ formâ collatum. Quare poterat sanè Stephanus Papa velle, ut *haberentur hæretici*, qui in eo perstarent obstinatè, ut baptisma ejusmodi nullum esse defenderent, quod ipsum paulò pòst Donatistæ defenderunt. Verùm idem Pontifex, ut cum S. Cypriano atque Episcopis Africanis, qui illum consectabantur, cum Firmiliano atque Asiaticis Firmiliani asseclis, mitiùs ageret; adduci potuit spectatâ eorum bonâ fide, & studio retinendæ unitatis, & candore mentis promptæ ac paratæ ad deponendum errorem, ubi commonstraretur quæstionem hanc pertinere ad fidei dogma, in quo ab Ecclesiâ universâ dissentirent. Ut ut est, certè quæ duo habere te oportuit ad sententiam tuam probandam, eorum neutrum habes. Nam neque probas

Stephano Papæ visam esse rem eam pertinere ad meram disciplinam, & multò etiam minùs confictis, eum voluisse ut S. Cyprianus atque alii Africani *hæretici haberentur*, qui nullâ in re forent hæretici. Quare nihil ex his exemplis deduces umquam, unde ostendas fieri potuisse, ut vester anni 1660. cœtus *hæreticos haberet* eos, quos probè sciret non posse esse hæreticos, quia nullam hæresim propugnarent.

Verùm attulisti prætereà quoddam argumentum, cui vim esse maximam existimasti, sic ut ei satisfieri planè non posset. Postulasti, an non possit Ecclesia eodem decreto sive eâdem formulâ conjungere dogmata revelata, quæ necesse sit divinâ fide credi, cùm rebus aliis ad meram disciplinam spectantibus, quæ fidem eamdem non requirant. Atque istud argumentum confirmas exemplo decreti illius, quod ab Apostolorum Concilio Jerosolymis habito latum est. Eo quippe decreto Christiani jubentur abstinere & à suffocato simul, & à fornicatione, & ab immolatis simulachrorum. Rem quidem ita esse negari non potest: sed ad tuam argumentationem brevis mea est & expedita responsio. Fateor ultrò, Ecclesiam posse & de fide & de disciplinâ, sive eodem decreto simul, sive diversis sejunctisque decretis statuere. Id verò quisquamne revocare possit in dubium? aut estne ulla inter nos eâ de re controversia? Non agitur sanè, an Ecclesia possit eâdem formulâ nobis imperare & fidem revelatorum dogmatum, & debitum obsequium in iis, quæ non nisi in dis-

ciplinâ & Ecclesiasticâ administratione versantur. Non agitur generatim & infinitè, quid Ecclesia facere potuerit, sed quid in hac unâ Janseniani libri causâ fecerit. Agitur de formulâ, in qua suis Ministris Ecclesia præcipit, ut jurejurent se credere, textus duos, alterum breviorem, longiorem alterum, alterum quinque propositionum, alterum libri unius integri, esse ambos hæreticos. Quid est, quòd Ecclesiam contendis minus sibi tribuisse autoritatis in textûs longioris, quàm in brevioris textûs hæreticitate decernenda? Jam verò, etsi perspicuum argumentando faceres, textûs brevioris hæreticitatem aliâ fide credi oportere, quàm hæreticitatem textûs longioris, manerent nihilominus ea, quibus sententiæ tuæ fundamenta prorsus convelluntur. Primum est, textûs longioris hæreticitatem fide certâ & ab omni errandi metu ac periculo sejunctâ credi debere, siquidem jusjurandum ab Ecclesia imperatur: alterum est, Christi promissiones Ecclesiæ factas ab iis lædi, qui certam de illa hæreticitate fidem habere nolunt, siquidem homines ejusmodi ex decreto vestri illius cœtûs anni 1660. *haberi* debent *hæretici*.

Omittamus igitur, quæso, Præsul Illustrissime, exempla illa Concilii Apostolici, Victoris Papæ, & Stephani Papæ, quæ exempla nihil planè faciunt ad quæstionem nostram; & formulæ jurejurando ac verbis illis cœtûs vestri decretoriis disceptationem nostram circumscribamus. Nullum in omni retrò antiquitate reperies exemplum, quo

Ecclesia velit *habere hæreticos* eos, quos ipsa novit hæreticos non esse. Necesse est igitur ut cœtus vester approbaverit, eum esse planè hæreticum, qui Ecclesiam negat esse immunem ab erroris periculo in iis textibus dijudicandis, quibus traditio conservatur aut corrumpitur. Dubium igitur esse non debet, quin tu sis decimus quintus inter Episcopos XIX. qui illam infallibilitatem tuâ subscriptione professus fueris, volueris que eos, qui eam negant, *hæreticos haberi*.

X.

AFFIRMAS tamen, Præsul Illustrissime, non eam fuisse cœtûs vestri mentem, ut infallibilitatem illam inter dogmata reponeret, *quippe qui reliquerit inter res incertas illud obsequii genus, quod decretis, quæ ad sola facta pertinent, deberetur*. Illud etiam arguis, quòd te accusaverim, quasi dixeris *ipsum obsequium relictum fuisse inter res incertas, nihil fuisse de illo* definitum, cùm dixeris tantùm, nihil fuisse definitum de obsequii debiti genere. Ego sic respondeo.

1. Non hîc agitur quæ tua unius mens intima fuerit, sed quid enuncietur verbis decretoriis, quæ instrumentis publicis continentur, quibus tu nullo cogente, post rem totam maturè & accuratè discussam, subscripsisti. Neque verò agitur de privatorum quorumdam ex illo cœtu consiliis, quæ sanè fieri potuit ut tecum eo ipso tempore conferrent, cùm tibi ostenderent, quâ ratione interpretarentur ac vellent intelligi textum eum cui subscripserant. Quamvis affirmanti tibi qualibet aliâ

in causâ fides vel maxima haberi debeat, quamvis in hac ipsâ causâ, quemadmodum & in cæteris omnibus, verè atque ex animo loquaris, non tamen potest tuum de intimâ mente tot Episcoporum, qui jam vitâ functi sunt, admitti testimonium adversus publicorum instrumentorum fidem, præsertim cùm & in tuâ causâ dicas, & in eâ in quâ omnes Episcopos adversarios quàm consentientes habere maluisti. Unum igitur tibi restat, ut de te ipso contesteris ac palam denuncies, tibi in illo cœtu errorem fuisse objectum, te scilicet non satis tum attendisse ad ea quibus subscribebas, nondum satis perpendisse quid esset *habere* aliquem *hæreticum*, non advertisse denique ejusmodi verbis poni, eum esse reum certæ cujusdam hæreseos, qui Ecclesiam de textûs alicujus hæreticitate statuentem nolit credere immunem ab erroris periculo. Quid autem refert, quòd non volueris istam infallibilitatem inter dogmata reponere, si tamen eam, quantumvis imprudens, inter dogmata reposuisti, si cœtus iste vester eam inter dogmata verbis claris ac manifestis reposuit? Sedebas in illo cœtu delegatus ex secundo ordine: id quod uno omnium consensu statutum est, abrogare privata tua mens ac voluntas non potest. Quo res omnes essent loco, si liceret privatâ aliquâ contestatione post annos 47. abolere atque irrita facere ea, quæ sunt publicis instrumentis ac monumentis consignata?

2. Non licet argumentationem meam referre mutilam & quasi decurtatam. Itaque postulo ab

æquitate tuâ ; eam ut totam atque integram ſpectes. Aio cœtum veſtrum *non poſuiſſe inter res incertas* genus ipſum fidei, ſiquidem non modò fidem certam poſtulat, quantum pertinet ad factum, de quo ſcilicet poſtulat jusjurandum, ſed etiam infallibilitatem in facto dijudicando vult exiſtimari dogma revelatum ; ſiquidem decernit *habendum eſſe hæreticum*, quiſquis huic dogmati non præbeat aſſenſum. Quo tandem pacto verè dici poteſt *obſequii genus relinqui inter res incertas*, ubi & jurisjurandi natura poſtulat fidem in facto credendo certam, & Clerus cenſet hæreſim eſſe errorem eorum, qui Eccleſiam negant in eo dijudicando eſſe immunem ab errore ? Illudne etiam dices, Præſul Illuſtriſſime, cœtum veſtrum *reliquiſſe inter res incertas*, num certa fides eſſet adjungenda, num verò ſatis foret eam rem, in quam jusjurandum conciperetur, præ obſequio & reverentiâ non negare ? Nonne hæc eſſet *probroſa quædam diſſimulatio, eaque cum perjurio conjuncta* ? Illudne etiam defendes, veſtrum cœtum *reliquiſſe inter res incertas*, quodnã eſſet obſequii genus, quod qui non adhiberet, eſſet *habendus hæreticus* ? Non igitur cœtus veſter obſequii genus *reliquit inter res incertas*. Poteſtne verò fides certior in facto credendo poſtulari, quàm ubi jusjurandum de illius facti fide poſtulatur ? poteſtne poſtulari fides magis aperta ac manifeſta de infallibilitate Eccleſiæ in facto dijudicando, quàm ubi decernitur, *habendum eſſe hæreticum* quicumque eam infallibilitatem negaverit ?

X I.

CERTUM est, eos qui negabant anno 1660. se adduci posse ut formulæ subscriberent, eosdem illos fuisse, qui se obsequioso silentio continebant. Et verò par omnino est ut ille nolit jurejurare, qui non vult credere, sed satis habet obsequio & reverentiâ ductus tacere. Sed nimirum prorsus necesse fuit ad causam tuam tuendam, ut defenderes cœtum vestrum non fuisse eâ mente, ut *hæreticos haberet* eos omnes, qui silentio se obsequioso continerent. Hanc enim fuisse cœtûs vestri mentem fateri non poteras, quin simul fatereris, à cœtu vestro *habitos esse hæreticos* eos omnes, qui in eâdem causâ versarentur, in quâ paulò pòst quatuor Episcopi versati sunt, & quam deinceps novemdecim Episcopi probaverunt. Hinc factum est ut diceres, temporum rationem omnem à me fuisse *perturbatam*. Hinc etiam factum est, ut in meis scriptis plena *errorum esse omnia* crimineris.

Negas* *homines è sectâ ante cœtum anni* 1660. *ultrò obtulisse silentium obsequiosum de Janseniani textûs hæreticitate*: negas *illud idem silentium obsequiosum damnatum fuisse ab eo cœtu, dum jusjurandum in formulæ verba postulavit*. Illud arguis, quòd dixerim *esse manifestum unam fuisse rem illam, quæ tum in disceptatione & controversiâ versaretur*. Deinde subjungis: *Est tamen extra dubitationem, eos quos vocas homines è sectâ, tam longè abfuisse ut silentium obsequiosum offerrent, eo quo arbitraris tempore, ut prodirent in dies ab iis, quos*

*pag. 43

*Jansenianos appellas, scripta plurima, quibus conabantur ostendere, famosas quinque propositiones non esse Jansenii ..... Gravissimum est hoc & firmissimum argumentum, adversus quod nulla ratio stare possit, eos, quos vocas homines è sectâ, non obtulisse in cœtu anni* 1660. *silentium obsequiosum, neque ullam illius tum factam fuisse mentionem.* Denique profiteris, cœtum istum non modò illud silentium non damnasse, verùm etiam *sic fuisse affectum, ut potiùs fuisset approbaturus.*

Ego verò, Præsul Illustrissime, tantùm absum ab eo, ut commoveat *isto argumento, quod gravissimum & firmissimum* prædicas, ut potiùs commoveat dumtaxat eo metu, ne tibi molestus atque importunus videar, dum sum demonstraturus, quàm parum id habeat roboris ac *firmamenti*, & quàm facilis, quàm decretoria mea sit ad illud responsio.

1. Eo quod tu factum memoras, non conficitur, homines è sectâ non tum obtulisse silentium obsequiosum, sed tantùm conficitur, homines è sectâ, cùm silentium obsequiosum perpetuò pollicerentur, nunquam tamen siluisse, numquam fuisse obsecutos. Fuit ea constans deinceps & propria eorumdem hominum ratio. Neque verò postrema Constitutio potuit ab iis impetrare, ut ab illâ suâ ratione discederent. Hoc verbis tam acribus accusavit summus Pontifex Clemens XI. Petri Sede & locò dignissimus. Hoc ipsum accusarunt, quotquot in tuendâ Ecclesiæ causâ studium ac diligentiam suam bonis omnibus approbavere,

2. Per se res ipsa loquitur. Homines è sectâ præcipui erant ii sanè, qui formulæ *subscriptiones impedire contendebant.* Non credebant sibi fas esse subscribere, & clarè ac perspicuè ostendebant subscribere neminem posse, nisi qui certam & non dubiam fidem haberet. Cœtus vester articulo illo tertio non solùm jubebat ut subscriberetur ab omnibus ac certò crederetur, *verùm etiam ut *hæreticus* deinceps *haberetur*, quisquis certò non crederet. Id ipsum erat, quod tu fateris, *favere* doctrinæ Ill. de Marca. Id ipsum erat, si verè loqui volumus, hanc Ill. de Marca sententiam approbare & facere suam. Id certè fuit non satis habere silentium vel maximè obsequiosum, & fidem certam postulare. Id etiam fuit damnare eos, qui defenderent illud, quod deinceps vis à te fuisse propugnatum Epistolâ scriptâ anno 1667. Non igitur erat cœtus vester *sic affectus*, ut silentium obsequiosum *fuisset approbaturus*.

3. Sed omissis argumentationibus, rem ipsam ex iis quæ extant litterarum monumentis æstimemus. Audiamus Arnaldum sectæ totius Caput, magistrum, mentem ipsam. Hæc ille scribebat anno 1655. * *Quo tandem jure arguitur, posse virum Catholicum hæreticis annumerari, qui dubitet, qui modesto ac religioso se silentio contineat, qui hæreat, qui præceps esse nolit ad profitendum, quinque propositiones esse illius Episcopi Catholici, cui jam è vivis sublato tribuuntur unius summi Pontificis Constitutione; præsertim cùm & eas ipse in*

* *Lettre à un Duc & Pair Pag. 152.*

*illius Episcopi libris reperire non potuerit, & satis habeat nihil agere contra conscientiam, nihil in re, quæ tota facti est, aggredi contra testimonium oculorum, statueritque etiam de illo facto abstinere prorsus ab omni concertatione & controversiâ, atque* IN EO SERVARE SILENTIUM OBSEQUIOSUM, *quo nulla major observantia debetur Conciliis etiam œcumenicis de facto aliquo particulari decernentibus.* Vides, Præsul Illustrissime, oblatum fuisse, & quidem conceptis verbis, silentium obsequiosum ante quinque annos quàm cœtus vester anni 1660. cogeretur. Habes hoc loco *silentium religiosum*; *dubitationem* modestam, piam *hæsitationem*, quâ quis sibi ipse diffidit, & ex observantiâ intimâ Ecclesiæ obtemperat, cui vult omnia concedere, præter fidem certam, quam facere ipse non potest ut sibi tribuat, ductus solo testimonio fallaci, & quidem adversus illud, quod animo persuasum & penitus perspectum habet. *Hæret*, *præceps esse non vult* ad jurandum *contra conscientiam*, & *contra testimonium oculorum, in re quæ tota facti est*, hæreses quinque contineri eo libro, in quo *eas ipse reperire non potuerit.* Exclamat Arnaldus: *Quo tandem jure* potest vir ejusmodi *hæreticis annumerari?* Contrà cœtus vester reponit, homines ejusmodi *habendos esse hæreticos*, atque ut tales *castigandos*, quia dum se intra silentium obsequiosum continent, negant se adduci posse ut certam de hæreticitate hujus libri fidem jurejurando testentur. Hæc epistola scripta anno 1655. eadem est, quæ anno inse-

quente 1656. à Theologis Sorbonicis damnata est ; fuitque in causa cur Arnaldus è Sorbonâ tanto cum fragore ac molimine fuerit ejectus. Dicesne vestrum cœtum *tam longè fuisse ab eo, ut silentium obsequiosum damnaret, ut potius fuisset* illud *approbaturus*, qui Arnaldum audiebat totius sectæ nomine illud idem silentium epistolâ tam celebri ac famosâ pollicentem ? Dicesne à vestro cœtu *habitos esse hæreticos* eos, qui non audebant facti fidem jurejurando testari, quamvis ultrò pollicerentur silentium illud, quod ille cœtus fuisset approbaturus ? Quidni igitur approbabat, siquidem tam solemni ratione offerebatur ? Sed audiamus historicum sectæ P. Gerberonium.

* *Illi*, scilicet Portu-regienses, *ut ostenderent non se obstare, quominus Ecclesia Gallica pace summâ uteretur, atque ut omnem hæreseos suspicionem & crimen amolirentur, adornarunt quoddam suæ fidei symbolum, quod ipsis Calendis Martiis Ill. Archiepiscopo Rhotomagensi tradiderunt. Eo denunciabant, quinque hæreses à se damnari, quibuscumque tandem in libris illæ reperirentur. Quantum verò ad factum pertinet, ita se obtemperaturos pollicebantur, ut reverentiam cum silentio conjungerent.* Hoc secta ultrò profitebatur anno 1657. apud Ill. de Harlay, tum Archiepiscopum Rhotomagensem, illum ipsum qui post tres annos cœtui vestro præfuit. Non est igitur veritati consentaneum, quod tibi per fraudem obtrusum est, sectam ante annum 1660 nunquam polli-

* *Hist. du Jansen. tom. 1. pag.* 348.

citam esse silentium obsequiosum; atque Ill. de Harlay existimasse, præclarè secum agi anno 1668. in re totâ componendâ, cùm illud impetravit. Vides sectam jam tum ab anno 1655. perpetuò fuisse contestatam, se polliceri silentium vel maximè obsequiosum, cum intimâ reverentiâ, modò ea non pertingeret usque ad certam fidem. Illam pollicitationem Gerberonius scribit ab Ill. D. de Harlay delatam ad Emin. Cardin. Mazarinum, & ad Ill. de Marca: sed illa probata non fuit: illam Ill. de Harlay cum universo vestro cœtu non satis esse judicavit: illa non potuit à vobis impetrare, ut non decerneretis, *habendos esse hæreticos* eos, qui certam facti fidem jurejurando testari nollent. Sed Arnaldum iterum audiamus. Is anno 1657. hæc scripsit ad Ill. Episcopum Aletensem: *Quamlibet cupiamus obsequi autoritati summi Pontificis, hoc unum efficere possumus, ad observantiam nostram sanctæ Apostolicæ Sedi contestandam, ut ejus decretum* SILENTIO OBSEQUIOSO *excipiamus, non verò ut fidem intimam habeamus.*

Idem ille anno 1659. paucis ante cœtum vestrum mensibus, ad Ill. Episcopum Andegavensem ita scribebat: * *Sui juris Ecclesia conscia, interiorem quidem in fidei dogmatibus assensionem à filiis suis semper postulavit: at facta vel in illorum prorsus reliquit arbitrio, aut externâ tantùm obedientiâ, quæ silentio continetur, contenta fuit.* Tum allatis ex historiâ Ecclesiasticâ exemplis aliquot, ita prosequitur: *Ego quantò religiosior, qui nec*

* 1. Epist. lat. ad Illust. Andeg. Episc.

*Jansenium apertè defendi, nec errorem facti Pontificiis Constitutionibus imputavi? denique eis semper eam venerationem præstiti, etiam in facto, quâ nulla major à Catholicis Theologis exigitur.* Eamdem pollicitationem obtendebat idem Arnaldus die 7. Februarii anni 1660. proximè ante cœtûs vestri tempus. † *Denique si id unum à me postuletur, ut postremis Innocentii X. & Alexandri VII. Constitutionibus habeam, quod ejusmodi Constitutionibus à Catholicis Theologis haberi solet, ut earum fidem amplectantur, & honorificè illas semper appellent, ut de iis, quas fortè in facti quæstionibus pati possunt, difficultatibus sileant, id quoque libenter spondebo; quia semper in illas sic animo ac voluntate affectus fui. Unum est quod omnino facere non possum, ut quinque illas meritò proscriptas, mihique detestatas propositiones, in Jansenii libro verè reperiri, nominatim profitear, idque mihi esse persuasum, subscriptione meâ contester.* Intelligis sectam universam Arnaldi ore loquentem jam tum obtulisse *animi ac voluntatis affectus* omnes, quibus ille autoritatem Ecclesiæ revereri se atque observare profitetur. *Unum est quod omnino facere non poterat* (Arnaldus cum suis) scilicet ut firmiter crederet absque firmitate, eâ autoritate ductus, quam arbitrabatur esse obnoxiam errori, illud factum, quod ipsi quidem manifestè falsum esse videbatur.

Id credo, Præsul Illustrissime, probandum non suscipies, quatuor Episcopos unquam in silentio obsequioso mitigando ac temperando longiùs

† 2. *Epist. lat. ad Episc. Andegav.*

fuiſſe provectos, quàm Arnaldus his verbis provehatur. Is ipſe erat proximè ante veſtrum cœtum quæſtionis ſtatus; id ipſum agebatur. Offerebat ſecta ſilentium illud adeò obſequioſum, adeò mitigatum. Illud Clerus reprobabat, & fidem certam interpoſito jurejurando affirmari volebat. Hunc rei totius ſtatum reſpiciebat cœtus veſter, cùm denunciavit *habendum eſſe hæreticum*, quicumque credere & jurejurare nollet. Jam vides, Præſul Illuſtriſſime, non à me profectò temporum rationem omnem perturbari, non me ea ſcribere, in quibus *plena errorum ſint omnia.* Jam vides te iſtorum temporum hiſtoriam tam parum accuratè cognoviſſe, ut etiam ignoraveris, quid præcipuum fuerit in illo cœtu, cui interfuiſti. Equidem quamvis per ætatem intereſſe his rebus non potuerim, tamen in iis commemorandis fieri non poteſt ut aberrem, quia ipſis publicorum inſtrumentorum verbis utor, & ſuam cuique rei temporis notam tribuo. Tu verò, Præſul Illuſtriſſime, quamvis jam tum ab eo tempore locum aliquem teneres, fieri ſanè potuit ut ignorares facta quædam, quæ ſcilicet non expendiſti ex iis inſtrumentis, quibus ſolis continentur. Faciunt indefeſſi tui labores in Diœceſi tuâ adminiſtrandâ, ut iſta expendere tibi non vacaverit: habes excuſationem ſanè legitimam, & ſummâ reverentiâ dignam, iſtius tui erroris in eâ re, quæ eſt noſtræ controverſiæ caput. Ego verò, ne quâ in re aberrarem, faciendum mihi duxi, ut fontes ipſos adirem, & prima rei cujuſque

jusque monumenta consulerem. *Nunquam*, inquis, *legere mihi contigit pleraque ex iis scriptis, unde hæc convicia collegisti &c.* Scripta illa sunt, quæ tum temporis ab hominibus è sectâ spargebantur in vulgus, quibus efficitur, eum non debere formulæ subscribere, qui factū non crederet, sed solo se obsequioso silentio contineret. Ingenuitatem istam summopere veneror, quâ fateris, *numquam legere tibi contigisse pleraque ex iis scriptis*: sed ea qui legerit, perspiciet facilè, quot in errores te conjecerint ii, à quibus obsequiosi silentii totam historiam accepisti. Iis enim scriptis fit manifestū, hoc ipsum fuisse, quod tum agebatur, an satis esset, necne, silentium obsequiosum, cùm cœtus vester, spretâ pollicitatione hominum è sectâ, decrevit *habendum esse hæreticum*, quisquis fidem certam interposito jurejurando non polliceretur. Quare silentium istud à vestro cœtu damnatum, & gravissimâ censurâ notatum fuit, quod facere profectò cœtus vester non potuit, nisi Ecclesiæ statuisset in textibus dijudicandis infallibilitatem esse promissam.

XII.

Nihil prorsus respondisti, Præsul Illustrissime, ad ea argumenta, quibus confeci Ecclesiam in dijudicandis textibus dogmaticis non esse obnoxiam errori. Dabis igitur mihi, ut opinor, hanc veniam, ut summatim ac breviter colligam, & veluti sub uno aspectu posita repræsentem ea, quæ nusquam attigisti.

1. Si fieri posset ut Ecclesia errore facti la-

beretur in dignoſcendâ vi ac poteſtate vocum earum, quæ locum habent in ſymbolo ſeu in canone aliquo, error ille facti de ſolis vocibus, fideles induceret in errorem juris de ipſo dogmate. Fideles, dum ſymbolorum Eccleſiæ canonumque textus religiosè proprio ac nativo ſenſu acciperent, obbiberent ipſi venenum, neque poſſent fidem non amittere. Eccleſia, dum malè loqueretur, dum malè ſcriberet, dum ſuorum ipſa decretorum ſenſum non aſſequeretur, neceſſariò faceret ut malè crederemus, ut fidem noſtram corrumperemus. Fideles, quò plus docilitatis ac ſimplicitatis afferrent, eò paratiores eſſent ad ſuam perniciem; fidem ſervare non poſſent, niſi ſymbolorum ac canonum textus per ſummam invidiam contorquerent ad ſenſum aliquem minimè proprium ac nativum, ſed alienum ac violentum. Atqui hæc ſi facerent, non jam modeſtè atque ingenuè textus illos excipere, ſed iis illudere viderentur.

2. Canon quilibet eſt textûs brevioris damnatio: damnatio verò libri, quidam eſt de longiore textu canon. Atqui textûs utriuſque, ſeu brevioris, ſeu longioris, prorſus eadem eſt ratio: æquè uterque pertinet, ſive ad juris, ſive ad facti controverſiam. Si falli Eccleſia non poteſt, dum canonem condit de textu aliquo breviore, non minùs eſt immunis ab erroris periculo, dum canonis quodam genere de textu longiore pronunciat. Si erraret Eccleſia in condendo canone, ita ut anathemate feriret eum textum, quo vera

fides significaretur, ipsam fidei propositionem feriret anathemate, canon ipse foret conceptis verbis textus hæreticus. Atque idem planè debet intelligi de libri cujuspiam damnatione; quæ scilicet quoddam est canonis genus de textu longiore. Si textus ille damnatus recideret in puram fidei propositionem, necesse foret, ut ejus damnatio ab Ecclesiâ denuntiata, textus hæreticus haberetur. At illud estne quisquam qui dicere audeat, Ecclesiam, cum quâ Christus docet, hoc est, textus usurpat ad proponendam fidem, posse errore facti in vocibus eò devenire, ut in canone de textu breviore, vel in quodam canonis genere de longiore textu nobis offerat, tanquam fidei propositionem, eam quæ sit conceptis verbis hæretica? Estne quisquam qui dicere audeat, fieri posse, ut Christus cum Ecclesiâ docens textu prorsus hæretico fidei propositionem nobis obtendat? Etiamsi XXIII. Episcopi errore aliquo decepti opinionem tam improbabilem defendissent, tam abhorrentem ab iis principiis, quibus omnis autoritatis ratio nititur, futurumne credemus unquam, ut quisquam illos sibi eâ in re sequendos existimet? Hæc sunt, Præsul Illustrissime, quæ refelli à te manifestè oportuit, si fore sperasti, ut eam sententiam, quam XXIII. Episcopis tribuis, crimine liberares. Num verò illud fecisti? num etiam illud aggredi te posse confidebas?

3. Atque hoc ut fiat manifestius, & veluti meliori in lumine collocetur, juvat exem-

plum ponere in textibus S. Athanasii adversus impietatem Arianam, in textu Epistolæ S. Leonis ad Flavianum adversus errorem Eutychetis, & in textu S. Augustini adversus hæresim Pelagianam. Si contingeret, quod contingere profectò non potest, ut Ecclesia tres illos textus purissimos & maximè orthodoxos damnaret, ea propositio, quæ tum Ecclesiæ damnantis textu contineretur, esset prorsus hæretica. Ecclesia, dum S. Athanasii textum reprobaret, negaret Verbi divinitatem, quam nimirum S. Athanasii textus affirmat; Ecclesia, dum reprobaret textum S. Leonis, negaret geminam in unâ personâ Christi naturam, quæ affirmatur S. Leonis textu; Ecclesia denique, dum S. Augustini textum reprobaret, negaret peccatum originale, & gratiæ interioris necessitatem ad omne opus bonum, quæ duo S. Augustini textus affirmat. Itaque tres illi quasi canones, quos Ecclesia conderet adversus tres illos textus, totidem essent propositiones fidei, atque illæ proprio ac nativo suo sensu prorsus hæreticæ. Jam si Ecclesia Ministris suis omnibus imperaret, ut jurarent in verba formulæ illius, quâ se profiterentur planè credere, tres eos textus esse hæreticos, fieret manifestum eam tum, licet contra suam mentem, imperare tamen ut Arii, Eutychetis, ac Pelagii hæreses firmâ fide crederent. Neque verò Ecclesiæ mens ac voluntas una posset impedire, quominus trium istorum textuum hæreticorum labes & contagio fidelium mentes inficeret. Atqui mutatis nominibus, Præsul Il-

lustrissime, dicemus illud idem de Jansenii textu, quod de textibus S. Athanasii, S. Leonis, & S. Augustini diximus. Si ponitur id, quod jam ab annis 60. homines è sectâ jactitant, Jansenium esse fidelem Doctoris gratiæ interpretem, & Augustini Iprensis textum accuratè consentire cum textu Augustini Hipponensis, illud, inquam, si ponitur, non minùs erit hæreticus, qui Iprensis, quàm qui Hipponensis textum reprobaverit. Id si ponitur, uterque textus æquè orthodoxus in unam atque eamdem fidei propositionem coalescet. Atque indè manifestè consequitur, Janseniani textûs damnationem, non minùs quàm damnationem textûs S. Augustini, fieri prorsus negationem illius propositionis fidei, quæ utroque illo textu æquè contineatur. Id si ponitur, quod secta ponit, jam ab annis 50 Ecclesia in eo obstinata perstat, ut imperet fidem adjunctam jurijurando, in verba seu textum illius formulæ, quo pura S. Augustini doctrina negatur, & affirmatur impietas Pelagiana. Id si ponitur, stare promissionum veritas non potest. Igitur id poni promissionum veritas non sinit. Hæc erant, Præsul Illustrissime, nam iterum dicendum est, hæc erant, quæ à te refelli manifestis & firmissimis argumentis oportuit, nisi fateri maluisses, te fallaci illâ & captiosâ juris ac facti distinctione fuisse inductum in errorem. Neutrum horum præstitisti. Ac refellere quidem argumenta nostra prorsus non poteras. Si verò malles errorem tibi objectum fateri, incredibile est quantum gloriæ consequereris.

XIII.

Non modò nihil reponis ad ea argumenta, quæ tantum roboris ac firmitatis habent, sed etiam illa confiteris, ex quibus si quis deducat ea quæ apertè consequuntur, intelliget statim, & tuæ doctrinæ seriem dissipari, & ea quæ ego defendo mirificè confirmari. Operæ pretium est silere me, ac te loquentem audire.

1. His me vocibus compellas: * *Hinc fortasse Illustrissimi D. de Marca, vix audeo dicere, fortasse & tuus profectus est error. Quoniam sunt facta quædam, quæ sejungi prorsus à jure non possunt, quia sunt unica ratio juris ipsius credendi, existimavit Illustr. D. de Marca, pertinere & illud posse ad ea omnia, quæ ille facta dogmatica nuncupavit, quosque tu longiores textus appellas.* Fateris itaque, Præsul Illustrissime, facta esse quædam, quæ sejungi prorsus à jure non possint, quoties nimirum factum ipsum ratio est credendi juris. Restat igitur unum, ut quæramus, an illud quod ultrò concedis fieri interdum oportere, ut factum à jure non sejungatur, tam longè ac latè pateat, quàm ego patere volo. Illud autem ut innotescat, te iterum audiamus.

2. † *Non est*, inquis, *eadem ratio factorum eorum, quibus non nititur juris ipsius fides, quale est factum Jansenianum.* Sed cur, amabo, non pertinebit ad Jansenianum textum, illud quod de factis quibusdam ultrò confiteris, ea sejungi prorsus à jure non posse? Num ad promissionum divinarum fidem & conservationem depositi mi-

* Pag. 24. † Pag. 25.

às necesse est textus perniciosos ac pestilentes
egare, quibus fides corrumpitur, quàm affir-
iare sanos, quibus ea servatur? Nonne ipsa per
: sani textûs affirmatio, ut aiunt Logici, forma-
s est negatio textûs pestilentis ei contradicentis,
uemadmodum textûs pestilentis negatio, ipsa per
: formalis est affirmatio sani textûs contrariè op-
ositi? Nonne est manifestum, hæc duo munera
extus sanos affirmandi, & negandi pestilentes,
on modò æquè esse Ecclesiæ propria ac neces-
aria, sed etiam ita conjuncta, ut alterum altero
ontineri, & ex duobus unum effici necesse sit? Eo
onstituto, quæro jam, quænam sit ratio credendi,
oc dogma, *Liberum hominis arbitrium à Deo
iotum & excitatum potest dissentire si velit*, esse
erum à Deo revelatum. Nempe quia sessione 6.
Concilii Tridentini, canone 4. Ecclesia damnavit
ropositionem illi contradicentem. Atqui certum
st damnationem ejusmodi textûs, ipsumque a-
eò textum certo anno atque anni die scriptum,
acta quædam esse revelatione posteriora. Præ-
ereà certum est, ea facta rationem esse credendi
uris: illo enim facto, hoc est, Ecclesiæ decreto
nducimur, atque impellimur ad credendum, hoc
ogma esse verè revelatum. Ergo facta quædam
evelatione posteriora, sunt tamen nobis ratio
redendi fidei dogmata. Hoc ipso fit, ut factum
ejungi non possit à jure. Factum hoc, scilicet
amnatio certi cujusdam textûs, ratio est cre-
endi juris, nimirum dogmatis quod huic textui
ontrariè oppositum est. Exempli causâ, fieri po-

tuisset ut Theologi quidam, efficacitati gratiæ, plusquam satis est, tribuentes, negarent liberum arbitrium ei dissentire posse: sed factum positum in eo textu, qui à Concilio Tridentino damnatus est, ratio est quâ impelli debeant ad credendum, esse hoc dogma revelatum. Atqui prorsus eadem est ratio Janseniani textûs longioris, & textûs illius brevioris, qui eo Concilii Tridentini canone damnatus est. Varii Theologi in fraudem inducti eâ falsâ interpretatione, quâ S. Augustinum Jansenius explicare contendit, arbitrarentur voluntatem nostram post Adami lapsum jactari perpetuo conflictu delectationum duarum, utriusque prævenientis ac minimè deliberatæ, ita ut necesse sit, * *eam alternante creaturæ & creatoris delectatione, nunc rectè, nunc perperam facere, prout cœli aut terræ delectatio consensum ejus abripuerit*; deinde nullam aliam esse Christi gratiam interiorem, præter delectationem, & illam quidem, cui dare vel negare assensum non sit in arbitrii liberi potestate, quia ipsi arbitrio libero sit indeclinabilis atque insuperabilis, ut prorsus non possint illi humanæ resistere voluntates, cùm a naturâ seu essentiâ suâ primum hunc effectum habeat, ut à voluntatibus humanis omnem auferat resistentiam; quò pertinere volunt illud S. Augustini de Præd. SS. *Gratia à nullo duro corde respuitur: ideò quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.* Verùm nisi modò Theologi illi Ecclesiam eâ quâ par est reverentiâ atque observantiâ colunt, factum quoddam est,

* *Jansen. l. 4. de grat. c. 9.*

quod non poteſt à jure ſejungi, quod illos moretur & coerceat. Nimirum Eccleſia decrevit, Janſenii textum, quo doctrinæ hujus ſeries continetur, hæreſes quinque complecti. Tum verò Theologis ejuſmodi, quos incautos abſque ullâ ipſorum culpâ quinque harum hæreſum amor occupaſſet, quique prompti ac parati forent ad obſequendum autoritati legitimæ, factùm illud *eſt unica ratio credendi* atque inter dogmata revelata computandi ſyſtematis illius, quod Janſeniano ſyſtemati repugnat & contradicit. Tum verò factum Theologos illos inducit ad jus credendum, hoc eſt, ad credendum eam, quam docet Eccleſia Catholica, gratiam ſufficientem, quâ fiat ut mandata non ſint impoſſibilia, & ad credendum liberum arbitrium, quod gratiâ Chriſti liberatum, non verò neceſſitate ullâ adactum, delectationem hanc aut vitare poſſit aut vincere, denique diſſentire gratiæ vel maximè efficaci, etiam cùm ab eâ movetur atque excitatur. Supereſt igitur, Præſul Illuſtriſſime, ut ex iis ipſis, quæ apertè confeſſus es, argumentationem conficiam in hunc modum.

Fateris, factum etiam revelatione poſterius ſejungi prorſus à jure non poſſe, ſive agatur de longiore textu, ſive de breviore, ſi modò factum illud *ratio eſt credendi juris.*

Atqui *factum* illud *ratio eſt credendi juris*, hoc eſt, dogmatis revelati, ſive agatur de longiore Janſenii textu, qui Apoſtolicis Conſtitutionibus damnatus eſt, ſive de textû breviore,

qui damnatus est canone 4. sessionis 6. Concilii Tridentini.

Ergo factum à jure sejungi æquè non potest, sive in longiore Jansenii textu, sive in altero breviore, qui illo Concilii canone damnatus est.

Quamlibet se callidè atque astutè versent homines è sectâ, numquam assequentur, ut se clarè expediant ab ejusmodi comparatione tam simplici, tam parabili, tam brevi, tam decretoriâ. Quantò plura scribent, tantò minùs ea scribent quæ possint intelligi. Innumeris scriptis id unum consequentur, ut sentiant ac perspiciant omnes, nihil eos habere posse quod respondeant. Vides, Præsul Illustrissime, nihil aliud me sequi, quàm id quod à te positum est. Fateris ea facta prorsus à jure sejungi non posse, quæ sunt ipsa ratio credendi juris. Jam verò illud manifestum est, sive in longiore Iansenii textu, sive in textu breviore, qui canone aliquo damnatur, factum esse rationem ipsam credendi dogmatis contradicentis, & quidem credendi tamquam de fide. Illud certè non fuerat ab Episcopis XIX. animadversum, si tamen eam, quam tu illis tribuis, sententiam amplexi sunt.

3. Sic pergis : * *Quantum tamen ad me attinet, faciet mea tibi obsequendi voluntas, & observantia quâ te colo, ut id tibi concedam.* ( Minimè verò, Præsul Illustrissime; ubi enim agitur de doctrinâ, nihil est amicitiæ condonandum, nihil assentandum. ) *Ultrò etiam fatebor, sententiam tuam esse piam.... Imò & illud addam, si res ex prudentia*

* *Pag.* 26.

*ivilis legibus æstimetur, fore Pastoribus jucundum, tque etiam non parum utile, mentem humanam nere quasi arctissimis religionis vinculis constrictam, fractâ ac depositâ superbiâ, quibuslibet Ecclesiæ cretis obsequi condiscat. Hinc profectò longè major rpori Pastorum autoritas accederet &c.* Nolim, ræsul Illustrissime, quidquam in te dicere graus, nolim eam, quæ tibi summa debetur, ve-rationem imminuere, nolim hocce exemplum l invidiam atque offensionem usurpare. Sed taen id dicere liceat: hanc ipsam, quam tu tenes, tionem tenuere semper Theologi Protestantes, im generatim adversus infallibilitatem Ecclesiæ sputaverunt. Confessi sunt illud dogma esse ejusodi, ut ei Pastor quilibet *ex prudentia civilis gibus* favere debeat; *jucundam esse Pastoribus* eam toritatem, qua ponantur extra metum omnem, quis ipsis repugnet aut contradicat. Dixerunt nil esse, quod sit magis appositum ad ambitiom Præpositorum fovendam. Sed obsecro, illudne itùm proficiscitur *ex prudentia civilis legibus*, od dicitur fore nunquam, ut Ecclesia filios os decipiat, neque in symbolorum suorum canumque textibus, neque in aliis textibus, seu ditionis veræ, qui approbandi sunt, seu falsæ, i reprobandi atque impugnandi? Illudne existis, unam esse prudentiam civilem, quæ faciat ut amus, Ecclesiam non posse filiis suis id propoe tanquam de fide, quod sit conceptis verbis reticum? Nunquam ego sanè crediderim, eò te iturum ut id defendas, de quo hostes Ecclesiæ

sibi tam lætum, Ecclesiæ tam funestum triumphum agant. Fateris aliundè, *sententiam meam esse piam .....imò & utilem ad mentem humanam quasi arctissimis religionis vinculis constringendam, ut fractâ ac depositâ superbiâ quibuslibet Ecclesiæ decretis obsequi condiscat.* At verò nihil tam necessarium est, quàm *superbiam* illam *frangere*, atque omnem ansam præcidere decretorum omnium textus eludendi, criminando admissum fuisse errorem aliquem facti in significatu vocum, aut eos textus ad sensus alienos detorquendo. Nihil tam necessarium est, quàm revocare mentem hominum ad concordiam, & illas de textibus controversias tollere prorsus ac dirimere, quæ quamdiu manebunt, non possunt non manere de ipsis dogmatibus controversiæ. Atqui, Præsul Illustrissime, rem tam necessariam existimasne deesse promissionibus divinis? Existimasne Christum, qui omnibus diebus cum Ecclesiâ suâ docet, ipsi negasse potestatem illam, quæ si abesset, ejus decreta vel in medio ipsius sinu passim à sectarum omnium hominibus irriderentur? Existimasne Christum aut incommodum illud non providisse, aut adhibere noluisse remedium tam necessarium *ad frangendam* hominum *superbiam*, *mentesque quasi arctissimis religionis vinculis constringendas*? Fierine potest ut ignores, qui in Calvinianis confutandis cum tantâ pietatis laude versatus es, hanc esse nostram adversus ipsos perpetuam orationem, necesse esse ut aliqua existat autoritas falli & fallere nescia, quia foret opus Christi mutilum atque imperfectum, nisi

ıberet Ecclesia , unde posset *mentem humanam* *nere quasi arctissimis religionis vinculis constrictam*, usque *superbiam frangere* ?

4. De Calvinianis dum loqueris, hæc addis e- am graviora : * *Non possumus eos ad silendum ligere, nisi dicamus verbum Dei non esse obnoxium rori, ejus interpretes esse Pastores, nos eodem qui modo, quo Patres nostri locuti sunt, hos ità cepisse à decessoribus suis, decessores ab Apostolis, postolos à Christo; iis denique omnibus, quæ illi ssunt adversus Ecclesiæ Ministros effutire, id tan- im effici, Religionem nostram maximè divinam esse portere, siquidem hominum iniquitas & cupiditates nfaciunt, ne perficiatur id, quod Christus spo- ndit, sed ille contrà impedit semper, quominus rtæ inferi adversus sponsam suam prævaleant.* Exi- iam sanè confessionem, Præsul Illustrissime, si odò complectitur ea, quæ verborum vis postu- t ut complectatur, cùm ea verè, quod dubitare e te non possum, atque ex animi sententiâ pro- runtur. Fateris igitur, non posse hæreticos Pro- stantes ad silentium adigi, nisi defendamus il- d, *nos eodem loqui modo, quo Patres nostri cuti sunt*, hoc est, textus nostros esse similes orum textibus & consentientes. His sanè verbis on id agere voluisti, ut approbares eam, quam ilicet impugnare contendis, in textibus dijudi- ndis infallibilitatem; sed eam nimirum vel no- ns approbasti. Atque id breviter sic ostendo. otâ istâ tuâ disputatione non agitur, quid Ec- esia cogitet, quid intimo animi sensu credat: hoc

* *Pag.* 5.

agitur, quid Ecclesia doceat exteriùs, quos textus edat. Non agitur de infallibilitate quadam infinitè ac generatim acceptâ, quæ pertineat ad solas cogitationes; verùm de infallibilitate eâ, cujus verus aliquis usus esse queat in certis ac definitis textibus dijudicandis. Affirmas *nos eodem loqui modo, quo Patres nostri locuti sunt.* Atqui Patres nostri dum locuti sunt, usi sunt profectò textibus, seu contextu quodam & serie verborum. Affirmas & illud, Patres nostros ea locutos esse, quæ ipsi à decessoribus suis, quæ decessores ab Apostolis acceperant. At verò quis potest præstare, hos textus per omnes ætates usurpatos, esse sibi invicem accuratè similes? Quis præstabit, numquam Ecclesiæ contigisse, ut errore facti laberetur in vi ac significatione vocum ex Grammaticæ regulis dignoscendâ? Quis præstabit, aut Patrum nostrorum textus non fuisse à nobis perperam intellectos, aut Patres nostros non erravisse, id quod hæretici voluerunt, in decessorum suorum, atque adeò Apostolorum textibus intelligendis? Si nullam haberemus firmitatem, nisi eam quæ oritur ab evidentiâ textuum, non deerunt qui dicant, de hac ipsâ textuum evidentiâ quæstiones fore perpetuas ac sempiternas. Et verò canonem IV. sessionis sextæ Concilii Tridentini in sensus planè contrarios jactari & abripi videmus. Hunc Jansenii discipuli sibi vindicant: hunc Thomistæ suo more interpretantur: hunc illi, quos Congruistas appellant, suum esse defendunt. Nullus igitur jam locus relinquitur infallibilitati naturali aut evi-

dentiæ textuum eorum, quos suis canonibus Ecclesia reprobat. Unde verò fit (dicendum est enim sæpius) ut absque ullâ dubitatione, absque ullo erroris periculo, credamus *nos eodem loqui modo, quo Patres nostri locuti sunt*, hoc est, textus edere, qui cum eorum textibus planè consentiunt? Unde fit ut nos minimè falli confidamus, cùm Ecclesiam ponimus in Patrum nostrorum textibus approbandis non fuisse obnoxiam errori? Tu ipse respondes, Præsul Illustrissime: nempe, inquis, *iis omnibus, quæ* Protestantes hæretici de propriâ ac naturali Pastorum infirmitate solent *effutire, id tantùm efficitur, Religionem nostram maximè divinam esse oportere*: nempe *illud perficitur, quod Christus spopondit:* nēpe *ille impedit, quominus portæ inferi adversus Sponsā suam prævaleant.* Facit igitur, te fatēte, Præsul Illustrissime, Christi sponsio & promissum, ne alio loquamur modo, quàm quo Patres nostri locuti sunt: facit ne textus nostri ab eorum textibus dissentiant, quemadmodum in totâ sæculorum præteritorum serie fecerat, ne Patres nostri alium à decessorum suorum sermone sermonem usurparent. His septemdecim sæculorum textibus innumeris innumera pariter facta continentur: deinde eorum textuum omnium inter se consensus & similitudo aliud quoddam factorum genus & quidem propè infinitum complectitur. Fateris Ecclesiam interpretem esse factorum horum omnium, quæ revelatione posteriora sunt. Ecclesia illa componit & confert inter se: de vi singularum vocum, de nexibus grammaticis di-

judicat: investigat quid voces singulæ significent, quàm accuratè sibi consentiant invicem. Tu ipse confiteris, evidentiam textuum non satis esse, ad depositum fidei tutò servandum. Omnia essent pericula pertimescenda ab hominum infirmitate in tam longâ sæculorum serie, quâ tam multorum textuum interpretatio vel obscurari vel sensim vitiari posset. Sed nimirum *illud perficitur, quod Christus spopondit : ille impedit, quominus portæ inferi adversus Sponsam suam prævaleant*, hoc est, impedit, quominus Ecclesia aut ipsa fallatur, aut filios suos fallat in illo consensu & similitudine textuum, quibus perpetua veræ traditionis series continetur. Præterea non minùs necesse est, ad perpetuam illam traditionis veræ seriem tutò servandam, ut Ecclesia secernat, & canonibus, sive aliis ejusmodi decretis perpetuò rejiciat textus pestilentes, quibus fides corrumpitur, & falsa traditio efformatur, quàm necesse est, ut symbolis aut aliis generis ejusdem instrumentis approbet textus puros, quibus fides conservatur, & vera traditio quasi propagatur. Id nisi esset, Ecclesia textum eumdem aliàs ut catholicum admitteret, aliàs reprobaret quasi hæreticum: posset imperare jusjurandum, modò illud quo textus aliqui affirmarentur esse catholici, modò illud quo textus iidem esse hæretici dicerentur. Tum certè nos non eodem loqueremur modo, quo Partes nostri locuti sunt: approbaremus enim id, quod fuisset ab ipsis damnatum; quâ varietate & inconstantiâ fieret, ut ea, quam nos

haberemus

beremus fidei propositionem, illorum proposi-
oni planè repugnaret & contradiceret. Atque
ud quidem, ut ais rectè; numquam accidet.
d cur, obsecro, numquam fieri potest ut acci-
t? Nempe quia *perficitur id, quod Christus spo-
ndit*: nempe quia Christus *impedit, quominus
rta inferi adversus Sponsam suam prævaleant*, atque
am errore facti in textibus dijudicandis lapsam
ahant ad aliquam sententiam, quæ fidei propo-
ioni repugnet & contradicat. Denique tuum est
ud, hanc autoritatem immunem ab omni erroris
riculo, in veræ ac falsæ traditionis textibus dig-
oscendis, unam esse rationem, quâ *possumus* hæ-
ticos *ad silentium adigere*.

Sanè si mea forent hæc verba, non dubitarent
omines è sectâ, quin iis designaretur infallibi-
tas in textibus dijudicandis promissa. Imò si ea
cito autoris nomine proferrentur, nemo est
ui ea non crederet à me esse profecta, nemo qui
te profecta esse arbitraretur. Hæc nimirum ipsa
r sese veritas elicit ex animo verè catholico &
ec necessariò consequuntur ex iis de autoritate
cclesiæ principiis, quibus tua mens imbuta est.
am proclive est Episcopum, *fidei verbis nutritum*,
ud quod vel fundamenti locum obtinet, absque
lâ dubitatione admittere, ut tibi adversus Pro-
stantes hæreticos disputanti veluti ex abundantiâ
rdis effluat, etiam cùm opinionibus præjudica-
, voluntati tuæ valdè piæ contrariis, eò abri-
ris, ut ad Collegas tuos culpâ liberandos rem
eò veram obscurare nitaris. Itaque id quod à

me positum est * , non modò non refellis argumentando , aut quidpiam certum & distinctum reponendo , verùm etiam ipse ponis quasi nesciens ac nolens , & prorsùs admittis. Ejusmodi confessio , quæ tibi minimè volenti, sed incauto atque imprudenti excidit , longè plus habet ponderis , quàm si illud idem sponte & consultò fuisses confessus.

5. Frustrà verò exclamas : † *Quàm graviter fuissent offensi* , Protestantes nimirum ac Sociniani , *si vidissent Episcopos Galliæ , quorum certè virtutem ac doctrinam habebant in pretio , id agere ut nova quædam in cognoscendis factis non revelatis* infallibilitas *nostris temporibus Ecclesiæ tribueretur ?* Minimè verò, Præsul Illustrissime, minimè inquam , sectarum illarum homines fuissent offensi. Committere non debemus, aiebat olim S. Athanasius de voce Consubstantialis, ut scandalum atque offensionem misceamus & confundamus cum dolore. Illud idem ego jam , Præsul Illustrissime , pace tua dixerim. Dolebunt semper hæretici , Ecclesiam in infallibilitate suâ defendendâ atque usurpandâ firmam constantemque perstare. Cùm enim se ab ejus imperio subtraxerint , non possunt non ægrè ferre ea omnia , quibus suprema hæc authoritas confirmatur , atque omnes ejus eludendæ rationes præcluduntur. Contrà verò , ut ex ipsorum verbis feci manifestum , ingenti ipsorum gaudio factum est , quòd homines è sectâ Jansenii , dum juris ac facti distinctionem commenti sunt , infallibilitatem Ecclesiæ vanam atque inanem effecere , quam Novatores deinceps omnes

* *Pag. 5.*

luderent. Id verò illi sibi gratulati sunt & grattu-
ntur in dies. Sed quotquot sunt inter illos ipsos
ereticos viri graves ac periti, dicunt scilicet,
ınquam fore ut Ecclesia Catholica ejusmodi
ınam distinctionem approbet, quæ omnem veræ
ıtoritatis usum penitus aboleret: dicunt scilicet,
ımquam futurum fuisse, ut ab Ecclesiâ Catho-
:â sibi recedendum putarent, si satis illi tum
isset infallıbilitas naturalis aut solius evidentiæ,
ıæ jam ipsi ab hominibus fraudulentis obtrudi-
r. [Nobis verò, inquiunt, facile fuisset perpe-
ıs de significatione textuum, quibus decreta con-
ıentur, habere controversias. Eo pacto num-
am ventum fuisset ad juris controversiam, Ec-
:siamque quasi septam tenuissemus, & circum-
ısam facti quæstione, de quâ silentium obsequio-
n fuissemus ultrò polliciti. Evidentia verò, quæ
:itur, nihil quicquam nobis incommodi posset
erre: de eâ quippe disserendi finem non priùs
eremus, quàm hanc mundi machinam Deus
solvisset. Enimvero evidens est id de quo inter
ınes convenit, quod incurrit in oculos omnium
ione & sensu præditorum. Quare ubi discesserit
clesia Romana ab autoritatis supremæ partibus,
que jam erit evidentiæ locus, Doctores nostri
ı oculati sunt quàm Episcopi; æquè videre po-
ınt ea, quæ non possunt non videri ab iis, qui
ı aliquâ attentione oculos adjicient. Doctores
tri Doctoribus Ecclesiæ Catholicæ nullâ re
t inferiores, non intelligentiâ, non sagacitate,
ı Grammaticæ aut Logicæ artis peritiâ.] De-

nique hæretici Proteſtantes, quod ex eorum ſcriptis feci manifeſtum, * affirmant ſe id unum poſtulare, quod Janſenii defenſores poſtulant ut ſibi concedatur, nimirum jus à facto diſtinguere, quam poteſtatem ſi haberent, non dubitant quin facilè infallibilitatis cujuſlibet uſum perridiculum eſſe oſtenderent. Ipſi verò nequaquam intra ſuam ſectam ejuſmodi effugio locum ullum eſſe vellent, longiſſimeque abſunt ab eo, ut decretorum ſuorum vim ac firmitatem pendere patiantur ex ſolâ evidentiâ, cujus arbitrium omne ſit penes rationem. Jubet ipſorum diſciplina, ut ſi quæſtio ſit de textu aliquo dogmatico, qualis eſt † *formula catechiſmi* ..... *cauſa omnis finita maneat decretorio ſynodi nationalis judicio*, cui ſi *planè conſentire noluerint ii, quorum ſententia improbata eſt*, non jam ipſis liceat ſilentio ſe obſequioſo defendere, ſed cogantur planè conſentire, *atque errores conceptis verbis ejurare, quæ verba in acta referantur*; quod niſi faciant, *ab Eccleſiæ corpore ſegregentur*. Fruſtra verò poſtularent illi, ut de textuum evidentiâ diſputaretur: ſegregarentur nihilominus ab Eccleſiæ communione. Quis igitur metus eſſe poteſt, ne offendantur Proteſtantes, quòd Eccleſia Romana in iis controverſiis, quæ ad textus pertinent, rationem eandem teneat, quam ipſi ſequuntur, quamque niſi ſequerentur, ſatis intellexerunt nullam ſibi ampliùs veram ac certam autoritatem fore? Quare videntur homines è ſectâ id unum agere, ut vano terrore de offenſione Proteſtantium injecto, Eccleſiam impediant ac remorentur.

* *Docum*, l. c. 14. *pag.* 141. *edit. lat.* † *Diſcipl. c.* 11. *a.* 11.

XIV.

Non solùm, Præsul Illustrissime, nihil dicis d mea omnia argumenta, sed etiam consultò abstines à discutiendis iis demonstrationibus, quas go ex scriptis hominum è secta colligere studui. Ex iis quippe feci manifestum, certam fidem ac jusjurandum tribui non debere nisi illi autoritati, quæ certa sit, quæ nos inducere non possit in errorem, hoc est, quæ ipsa obnoxia non sit errori. Ostendi homines è sectâ, eo jacto fundamento, quod nullâ ratione convelli potest, assensos fuisse Arnaldo, cui *viri honesti atque urbani*, hoc est, mundo dediti, profani, assentatores videbantur ii omnes, qui fas sibi esse arbitrati sunt, silentio se obsequioso continere, & factum, de quo quæritur, interposito jurejurando affirmare, licet illud firmâ fide non crederent. Ostendi ex ipsius sectæ scriptis, solam esse autoritatem in eâ ipsâ re dijudicandâ non obnoxiam errori, quæ de eâ jusjurandum cùm certâ ac firmâ fide imperare pro suo jure possit. Neque verò illæ demonstrationes à me sunt excogitatæ, quas tantùm exscripsi, eâ nimirum mente, ut XIX Episcopos, quantum in me esset, eo crimine liberarem. Quid me incusas, quasi ego, dum aliud agere me simulo, voluerim tamen in illos Præsules cadere ea omnia convicia, quæ à scriptoribus è sectâ jaciuntur in eos, qui sic jurant, ut fidem certam non adjungant? Certè quæ eâ de re habentur in scriptis hominum è sectâ, sunt ejusmodi, ut refelli argumentando non possint: atque audeo dicere, nemo erit unquam, qui ad ea quidquam opponat, quòd possit

intelligi. Fieri igitur non poteſt, ut hæc verba; quæ non ad convicium pertinent, ſed ad objurgationem, eamque juſtiſſimam, non cadant in eos omnes, qui arbitrati ſunt fas eſſe ſilentio ſe obſequioſo defendere, atque ita ſine ulla exceptione jurare, ut tamen nullâ certâ & abſolutâ fide, id quod vocatur factum, crederetur. Summus Pontifex in ſuâ Conſtitutione, Epiſcopi in ſuis Mandatis, atque inter cæteros Emin. Cardinalis Noallius, & Illuſtr. Archiepiſcopus Rhemenſis exiſtimant, ea ratione approbari locutionem ambignam & *æquivocam*, ipsumque perjurium in profeſſione fidei. Quare univerſa Eccleſia eâ in re cum hominibus è ſectâ conſpirat adverſus XIX Epiſcopos, ſi ponitur hanc fuiſſe eorum ſententiam, fas eſſe jusjurandum adhibere abſque ullâ firmâ fide, ſeque obſequioſo ſilentio tueri. Quid tu verò, Præſul Illuſtriſſime, opponis ad ea argumenta, quæ & tantum habent per ſe roboris, & tam gravem autoritatem habent adjunctam? Ea ſic prætervolas, ut ne velis quidem attingere; ne videris quidem de iis refellendis cogitare. Id tamen dum agis, caput ipſum deſeris ejus cauſæ, quam XIX Epiſcoporum cauſam eſſe defendis, atque in eos tot contumelias ſanè acerbiſſimas redundare ſinis. Equidem Eccleſiam univerſam teſtem appello, me quàm potui maximè contendiſſe, ne ipſis doctrina tam invidioſa tribueretur, quam & Eccleſia & ipſa ſecta tam vehementer horrent ac deteſtantur. Imò & illud mihi facilè perſuadeo, illos Præſules, ſi modò approbarunt

doctrinam adeò faventem corruptæ laxitati morum in eo jurejurando, quo fidei professio firmatur, ideò tantùm approbasse, quòd non viderent quò ea pertineret. Non dubitassent illi continuò, pro eximiâ suâ pietate, tam periculosam doctrinam repudiare, si quàm illa esset pestilens ac perniciosa, cognovissent.

## XV.

Dum neque tuum systema ullis argumentis probas, neque ad ea argumenta quidquam dicis, quibus ego meum confirmavi, perpetuò redis, Præsul Illustrissime, ad quæstionem de nomine, positam in ambiguo, quod ego sæpe distinxi. Illud nimirum ad singulas Epistolæ tuæ pagellas occinis, postulare me *divinam fidem* de Jansenii facto non revelato. Ais fidem hanc divinam ab Illustr. de Marca fuisse flagitatam, Illustrissimum verò de Perefixe dixisse, plurimum esse *vel malitiæ vel inscitiæ* in eo, qui illam flagitaret. Sed ut omittam non hîc jam agi, aut de divinâ fide, aut etiam de autoritate infallibili, de quâ facio libenter ut hoc loco non disputem; ut omittam agi tantùm inter nos de certâ facti fide, quæ cum obsequioso tuo silentio pugnat, teque unum esse ex omnibus iis, quos novimus, Episcopis, qui de eo controversiæ totius capite dissentias; ut omittam, inquam, hæc omnia, quid me cogis, Præsul Illustrissime, ut te moneam, nihil ad causam aliquam tuendam minùs facere, quàm si perpetuò revocetur ac referatur id, quod sexcenties & quidem manifestè reprehensum & confutatum est? Hæ voces, *fides di-*

*vina*, duplicem sensum & significationem habent. Potest *fides divina* nuncupari fides illius rei, quæ creditur propter autoritatem Ecclesiæ, promissionum vi ac nomine decernentis; quia tum promissio divina efficit, ut privatus quisque, sublatâ omni priori dubitatione, repudiatis iis argumentis, quæ firmissima priùs in contrariam partem esse videbantur, Ecclesiæ decreto pareat, obsequatur, ac planè consentiat. Quare licet autoritas Ecclesiæ tum sit motivum credendi, ut Theologi loquuntur, immediatum, tamen illud motivum, quo adducimur ut Ecclesiæ credamus, vim omnem suam habet à promissione Ecclesiæ ipsi factâ. Eo sensu Illustr. de Marca poterat, id quod eruditum sanè Theologum decebat, *fidem divinam*, hoc est, fidem divinâ promissione nixam, appellare eam, quam Ecclesia jurejurando interposito postulat de Jansenianí textûs hæreticitate. Verùm Illustr. de Perefixe diligentiùs expendere voluit, quæ esset Theologorum è Schola posterioris ætatis oratio maximè accurata, atque adhibitis in consilium ad hanc deliberationem Viro Clarissimo Grandin, & aliis quibusdam Illustribus Theologiæ Doctoribus, existimavit *fidei divinæ* nomine donandam esse solam fidem illius veri, quod foret ipsum nominatim atque immediatè revelatum. Atqui non comperiebat, hæreticitatem Janseniani textûs fuisse ipsam nominatim atque immediatè revelatam; neque sanè ea est hoc pacto revelata. ( Verùm symbolum Nicænum esse catholicum, & hæreticos esse textus, quos Concilii Tridentini canones adjuncto ana-

themate damnarunt, non magis explicitè atque immediatè revelatum est, quàm hæreticum esse Jansenii textum.) Atque indè Illustr. de Perefixe conficiebat, acerrimam Scholasticorum normam non sinere ut dicatur, hæreticitatem Janseniani textûs divinâ fide esse credendam. Hanc sententiam apertissimè & planissimè explicavit in iis scriptis, quæ in publicis Sorbonæ Scholis prælegit olim, quæque jam plurimorum Baccalaureorum manibus teruntur, V. Clar. Grandin, quem dixi ab Illustr. de Perefixe cum aliis quibusdam gravibus Doctoribus ad hanc deliberationem fuisse adhibitum. Eximius ille Præsul, gravissimique illi Doctores arbitrati sunt, nihil habituros ampliùs Jansenii patronos quod opponerent, si vel inanis hæc ansa præcluderetur de fide divinâ disceptandi, remque omnem commodè posse componi, si *fidei Ecclesiasticæ* nomen adhiberetur. Sed nimirum quam illi vocabant fidem Ecclesiasticam, ea nixa est autoritate infallibili, quæ Ecclesiæ promissa est. Aiebant illi quidem, eam fidem, quæ immediatè habetur Ecclesiæ loquenti, vocari debere *Ecclesiasticam*, quemadmodum fides ea, quæ habetur Deo ipsi revelanti, *divina* dicitur. Verùm, ut dixi jam, atque apparet manifestè ex scriptis V. Clar. Grandin, aiebant fidem Ecclesiasticam niti eâ Ecclesiæ infallibilitate, quam promissiones divinæ præstant. Quare fides illa Ecclesiastica mediatè nititur divino fundamento, seu revelatione. Si hanc sermonis rationem tenere volumus, hæreticitas, seu textuum illorum, quos Concilii Tri-

dentini canones addito anathemate damnaverunt; seu Jansemani textûs, non sunt objectum proximum atque immediatum fidei nostræ. Verùm infallibilitas in his universis textibus dijudicandis Ecclesiæ promissa, immediatum est fidei nostræ divinæ & proximum objectum. Quare inter Illustr. de Marca & Illustr. de Perefixe sola manet de voce ac nomine controversia. Nam & Illust. de Marca æquè ac Ill. de Perefixe fatebatur, Iansemiani textûs hæreticitatem non per se ac nominatim revelatione contineri; & Ill. de Perefixe æquè ac Ill. de Marca profitebatur, Ecclesiam vi promissi generalis esse immunem ab erroris periculo in dijudicandis textibus iis omnibus dogmaticis, quibus depositum aut servatur aut corrumpitur, & promissionum divinarum autoritate unumquemque adduci, ut Ecclesiæ decretis credat atque obsequatur. Igitur de re ipsâ prorsus consentiebant, pugnabant in solo usu vocis istius (fides divina) quam diverso sensu accipiebant. Desine igitur, Præsul Illustrissime, Illustrissimum de Perefixe cum Ill. de Marca facere certantem. Uterque æquè adversus te facit, & mirum in modum conspirat. Poteras sanè advertere, hanc esse argumentationem, quàm homines è sectâ jam ab annis 40. tantopere venditant, licet non ignorent, quàm expedita sit ad illam & decretoria responsio. Sed hanc ipsam responsionem, Præsul Illustrissime, fierine potest ut ignores, aut postulabisne à me, ut perpetuò repræsentem?

XVI.

Non possum, Præsul Illustrissime, non significare tibi quantopere doleam, quòd ea dicas de quinque propositionibus, & de ipso gratiæ ac libertatis dogmate, quæ mihi quidem parum videntur catholicæ veritati consentanea.

1. Ponis me illud confiteri, * Jansenii doctrinam redire ad hæreseos Calvinianæ caput, *de libero arbitrio per gratiam coacto.* Addis †*totius hujus tantæ rei summam, quantum quidem ad dogma pertinet, redire ad unum quidpiam minimè populare, & longè ab intelligentiâ vulgi sensuque disjunctum, quodque vel in ipsâ Calvini sectâ adeò putatur esse momenti nullius, ut ex Calvinianis Ministris plurimi facti sint Sociniani. Alii verò*, inquis, *postquam adverterunt, eruditos homines, qui in Theologiâ Polemicâ cum laude versati sunt, de efficaci gratiâ doctrinam amplecti S. Augustini ac S. Thomæ, oppositam Pelagianismo, & ei qui dicitur Molinismo, discesserunt ab eâ ratione Religionem nostram in invidiam adducendi, atque eò se conjecerunt, ut adversus Sacramenta nostra disputarent.* Tum & illud paulò inferiùs iterum dicis, meam hanc esse sententiam, *Jansenii librum totum pertinere ad solum caput liberi arbitrii per gratiam coacti.*

2. Quid me cogis dicere, orationem istam non videri ab eo proficisci, qui sile purâ ac sincerâ æquè sit, ac te esse existimo? Jubesne ut illud catholicæ fidei caput, quod tanti momenti est, credere jam omittamus, quia de illo jam non laborant inter Ministros Protestantes ii, qui à

* *Pag. 72.* † *Pag. 73.*

Christo desciverunt, ut nefandum Socini dogma sequerentur? Præterea verò non te fugit, Præsul Illustrissime, non eam fuisse Ecclesiæ mentem, ut in Calvino damnaret dogma liberi arbitrii per gratiam coacti, sed tantùm dogma gratiæ irresistibilis, quæ simplicem volendi necessitatem affert. Non te fugit, Iansenium gratiæ seu delectationis victricis, quæ boni volendi necessitatem inducat, dogma sic retinuisse, ut dicat Concilii Tridentini anathemata non cadere nisi in eos, qui dicerent voluntatem non posse velle id ipsum quod vult. Non te fugit, Iansenii patronorum esse ista, * *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ requiritur in homine libertas à necessitate naturali, qualis etiam reperitur in motibus indeliberatis.* Non te fugit, hanc ab hominibus è sectâ propugnatam fuisse sententiam, † *sufficere libertatem à coactione cum judicio rationis, si consideretur præcisè essentia libertatis & meriti.* Non te fugit, Ecclesiam contrà docere, omnino oportere ut nostræ voluntates, etiam sub gratiâ maximè efficaci, actum habeant non modò immunem á coactione, sed etiam immunem à quavis necessitate verè ac propriè dictâ, neque tantùm à naturali. Quî fit igitur, ut his pagellis duabus consequentibus sic loquaris, ut velle videaris, Iansenianam hæresim omnem contineri dogmate *liberi arbitrii per gratiam coacti?* Equidem illud fateor, si Iansenismus omnis eo uno commentitio dogmate absolvitur, numquam fore ut illum uspiam reperias, non in Ian-

* *Ioura. de S. Amour pag 471.* † *Ibid.*

senii, non in ipsius Calvini textu. Verùm illudne
igis, obsecro, ut Calvini doctrinam immutes,
ne in illâ quæstione Iansenianorum doctrinæ congruere & consentire videatur? Vim & coactionem ejusmodi Calvinus numquam propugnavit. Eam credere, *vel delirus*, nemo potest, ut affirmat S. Augustinus. Quis enim hominum omnium audeat dicere, gratiam id habere, ut cogat voluntatem, gratiam facere ut voluntas bonum velit invita, neque velit id velle quod vult. Numquam adeò inepta sunt, non dico vigilantium hominum judicia, sed etiam somnia delirantium. * *Non voluntate autem volumus, quis vel delirus audeat dicere?* Neque arduum est demonstrare, ipsos Manichæos esse confessos, fieri nunquam posse, ut voluntas in suis actibus eliciendis, hoc est in volendo, vim ullam coactionemque patiatur. Atque indè sequitur manifestè, S. Augustinum adversus eos disputantem numquam contendisse ut probaret immunitatem à coactione, quam scilicet immunitatem ultrò Manichæi faterentur, sed immunitatem ab omni necessitate, quæ nimirum sola inter ipsum & Manichæorum, sectam in controversiam disceptationemque vocabatur. Sequitur & illud manifestè, sanctum eumdem Doctorem, adversus Pelagianos nusquam id spectasse, ut defenderet, gratiâ voluntates nostras non cogi: neque enim unquam Pelagiani litem eâ de re ipsi intulerunt, verùm ut defenderet, liberum nostrum arbitrium nullam prorsus à gratiâ necessitatem pati. Dum S. Augusti-

* *De lib. arb. l. 3, c. 3. n. 7.*

nus contra Pelagianos disputavit, eamdem libertatis naturam amplexus est, quam illi offerebant. Ait illud idem liberum voluntatis arbitrium primùm Adamo datum, deinde ejus peccato amissum, denique ipsius posteris per Liberatoris gratiam fuisse redditum, atque illud liberum non esse, nisi quatenus liberatur per gratiam, quæ confertur *ad singulos actus*. Iam verò solis luce clarius est, hanc fuisse Calvini sententiam, non semel neque obscurè significatam, voluntates nostras per gratiam non cogi, nullam unquam pati vim, gratiam nihil esse præter delectationem, quæ suavem quamdam afferat volendi necessitatem. Nihil ille voluit præter gratiam irresistibilem, quod dogma fuit deinde à Synodo Dordracenâ propugnatum. Quid igitur, Præsul Illustrissime, eam affingis Calvino sententiam, quæ non est Calvini, ut jam Ecclesiæ anathemata non feriant nisi dogma quoddam commentitium, de quo *vel delirus* nemo unquam *audeat* contendere?

2. Dum Ecclesiæ decreto sensum tribuis commentitium, eumdemque fallacem & captiosum, vetas Catholicos veræ fidei retinendæ studiosos quicquam metuere incommodi in liberi arbitrii causâ: significas quæstionem hanc totam spinosam esse ac subtilem, *minimè popularem & ab intelligentiâ vulgi sensuque disjunctam*. An verò ignoras, Præsul Illustrissime, mysteria hæc trium Personarum in naturâ unâ, & duarum naturarum ac voluntatum in unâ personâ, non fuisse dogmata popularia & accommodata ad intel-

gentiam vulgi ? Tamen quid non Ecclesia sibi ut faciendum aut ferendum existimavit, ut rerum novarum cupidos homines, qui in his aliquid moliebantur, omni ope compesceret ? Quid igitur eadem illa non faciet, ne Iansenii secta his temporibus quidquam immutet in dogmate liberi arbitrii sine ullâ necessitate agentis, etiam sub gratiâ maximè efficaci ? Nam quod ais esse hoc dogma *minimè populare & disjunctum ab intelligentiâ vulgi*, vide quàm à te dissentiam, Præsul Illustrissime: mihi quidem nullum videtur esse magis *populare*. Et verò illius dogmatis definitione nititur tota ratio meriti & demeriti, vitiorum ac virtutum discrimen, pœnarum & præmiorum æquitas, verbo dicam, omnis moderatio, pudor omnis, probitas omnis, omnis religio. Sic loquitur de illo dogmate S. Augustinus : * *Hæc in omnibus hominibus, quos interrogare non absurdè possumus, à puero usque ad senem, à ludo litterario usque ad solium sapientis, natura ipsa proclamat .... Hoc ubique manifestum est, & non doctrinâ, sed naturâ omnibus promptum .... Omnia ista luce clariora sunt. ...ac notitia generis humani veritatis ipsius liberalitate donata ...* † *Nonne ista cantant & in montibus pastores, & in theatris Poëtæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & magistri in scholis, & Antistites in sacratis locis, & in orbe terrarum genus humanum?*

Hoc nimirum dogma tu elevare & verbis extenuare contendis. *Totius*, inquis, *hujus tantæ rei summa, quantum quidem ad dogma pertinet, redit*

* *De duab. anim. c. 10.* † *Ibid. c. 11.*

*ad unum quidpiam minimè populare & longè ab intelligentiâ vulgi sensuque disjunctum, quodque vel in ipsâ Calvini sectâ adeòputatur esse momenti nullius, ut ex Calvinianis Ministris plurimi facti sint Sociniani.* An verò, Præsul Illustrissime, tibi videtur parum omnino referre, ut gratia necessitatem afferre credatur, modò non credatur *cogere* voluntates? Videturne tibi pertimescendum, ne incidat in Socini vesaniam, quisquis non agnoverit delectationem indeclinabilem atque insuperabilem, cui resistere aut consentire non relinquatur in liberi arbitrii potestate, quæ denique sit irresistibilis, hoc est, afferens agendi necessitatem?

3. Et illud subjungis de hæreticis Protestantibus. *Alii verò*, inquis, *postquam adverterunt eruditos homines, qui in Theologiâ Polemicâ cum laude versati sunt, de efficaci gratiâ doctrinam amplecti S. Augustini & S. Thomæ, oppositam Pelagianismo, & ei qui dicitur Molinismo, discesserunt ab eâ ratione Religionem nostram in invidiam adducendi, atque eò se conjecerunt, ut adversus Sacramẽta nostra disputarent.* Nihil est, Præsul Illustrissime, tam expeditum ac facile, quàm hoc pacto, nulloque probandi labore suscepto, id sumere confidenter, se *doctrinam S. Augustini ac S. Thomæ* defendere. Id homines è sectâ numquam non habent in ore. Nihil tam assiduè prædicant, quàm se utriusque hujus sancti Doctoris esse discipulos. Atque hac eàdem ratione Protestantes hæretici, se in gratiâ Christi explicandâ, totius doctrinæ suæ seriem à

S.

Augustino mutuatos esse, gloriantur. Sed quid
t illud, quod homines è sectâ volunt intelligi,
tro S. Augustini doctrinam appellant? Intelli-
unt nimirum illius doctrinæ seriem, quâ nulla
ia gratia interior post Adami lapsum agnoscitur,
æter delectationem prævenientem atque indeli-
eratam, eamque minimè positam in arbitrii
beri potestate; tum quia indeclinabilis est atque
superabilis, hoc est, irresistibilis & afferens
ecessitatem; tum quia prorsus necesse est, ut eam
oluntas sequatur, ubi semel est in nobis poten-
or. Sed quid est illud, quod homines è sectâ
olunt intelligi, cùm jactant suam esse S. Tho-
æ doctrinam? Si intelligunt illam doctrinæ se-
em, quam Religiosi viri ex S. Dominici fa-
iliâ propugnant, si ea paulò diligentiùs confe-
tur cum eorum doctrinâ, qui se S. Augustini
scipulos appellari volunt, incredibile dictu
t, quàm manifestum sit systematis utriuf-
ue discrimen. Id vel ex P P. Dominicanis sci-
itare. Consule libros Alvaris ac Lemosii, qui-
is disputandi partes in Congregationibus *de*
*uxiliis* traditæ sunt. Nusquam in iis reperies de-
ctationem illam indeclinabilem atque insupera-
lem, quam post Adami lapsum omnino ne-
sse est ut voluntas sequatur. Verbo dicam, hæc
uo systemata, quæ homines è sectâ miscere in-
r se & confundere moliuntur, ut scilicet partes
as illâ veluti accessione & coagmentatione am-
ificent, comperies tam manifestè esse contraria,
consistere unum cum altero planè non possit.

Jam verò, Præsul Illustrissime, quo tandem jure statuis, *eruditos homines, qui in Theologiâ Polemicâ cum laude versati sunt, amplecti doctrinam* illam, quæ Protestantibus hæreticis probatur? Nulline tibi videntur eruditi, præter illos è sectâ Theologos, qui quia S. Augustini & S. Thomæ mentem non sunt assecuti, sibi videntur apud sanctos Doctores videre delectationem illam, quæ afferat necessitatem, cujus delectationis apud ipsos sanctos Doctores vestigium omnino nullum unquam fuit? Prætereà, pace enim hoc dicam tuâ, quid est quòd id tibi tribuis atque arrogas, ut absque ullo argumento, ab eorum partibus stare facias S. Augustinum & S. Thomam, in Pelagianorum verò classem referas eos, quos tibi lubet vocare Molinistas, hoc est, eos omnes, quibus non placet illa victrix & necessitatem afferens delectatio? Denique illudne unquam probare velles, quod omnes Præsules fidei Catholicæ amantes ac studiosi debent exhorrescere, atque adeò quod tu profectò non poteris non exhorrescere, ubi semel illud diligenter absque ullâ præjudicatâ opinione cognoveris, atque in eo discutiendo eam quâ vales & ingenii vim & pietatem adhibueris? Illud est nimirum, Theologos Protestantes, qui tam diu & tam acriter de hoc liberi arbitrii dogmate & bonorum operum merito adversus Ecclesiam contenderant, obmutuisse illicò & de iis rebus agere desiisse, statim atque *eruditi* illi tui *Polemicæ Theologiæ* magistri delectationem suam indeclinabilem atque insuperabilem attulerunt,

quidem mirari non possum, disputandi ratio-
em ab iis fuisse mutatam. Necesse prorsus erat,
: Ecclesia Catholica proximis duobus sæculis *in*
*lium atque invidiam* hæreticorum incurreret, quip-
e quæ feriret anathemate illam, quam ipsi defen-
ebant sententiam de gratiâ irresistibili seu necessi-
item afferente. In illius *odii atque invidiæ* partem
on minùs venêre Patres Dominicani, quàm
mnes alii ex Theologis Catholicis. Nam ut
mittamus disputationem merè Philosophicam de
ubordinatione causæ secundæ ad primam & de-
endentiâ, illud certè semper summo studio, &
ummâ cum suâ laude tenuerunt, nullam prorsus
sse gratiam; sub quâ voluntas non sit immunis
b eâ omni determinatione, quæ afferat necessita-
em. Protestantes verò non poterant quidem non
ægrè ferre, quòd anathemate perculsus sit ab Ec-
lesiâ, quisquis dixerit,*liberum hominis arbitrium à*
*Dei* gratiâ *motum & excitatum non posse dissentire si*
*elit*, sive excitanti gratiæ negare assensum. Sed
postquam ii, qui re Jansenii, oratione ac nomine
. Augustini discipuli sunt, hoc anathema Concilii
luserunt, statueruntque suam illam delectationem
ndeclinabilem atque insuperabilem, quæ non
osita sit in arbitrii liberi potestate, quæque ipsa
st,quam Synodus Dordracena gratiam irresistibi-
em appellat, facere non potuerunt Protestantes,
t in eâ tanti momenti controversiâ manus non
ingerent, & cum iis conspirarent. Quid mirum?
Nihil est tam idoneum ad sedandos & placandos
æreticos, quàm ipsis largiri & condonare ea quæ

postulant omnia, atque societatem cum ipsis inire, ad anathemata Ecclesiæ verborum captionibus eludenda. Id qui facit, non eos ad unitatem fidei revocat, imò solvit fidei unitatem, ut ad eorum se communionem adjungat. Enimvero si statuitur illa delectatio, cui necesse sit voluntatem obsequi, nihil potest superesse, de quo Ecclesia super eâ quidem re justè ac legitimè cum Calvino contenderit. Tum verò fatendum est, eum nullo prorsus jure fuisse ab Ecclesiâ damnatum, si quidem est manifestum, totam ipsius eâ de re doctrinam illo capite contineri, quòd velit delectationem gratiæ prævenientem, esse libero arbitrio indeclinabilem atque insuperabilem, ita ut ei voluntatem obsequi necesse sit. Quamlibet argutè ac subtiliter homines è sectâ disputent, suumque dogma temperare ac mitigare conentur, nunquam assequentur ut possint intelligi, dum eam Augustinianorum, ut ipsi vocari amant, delectationem, quam necesse sit ut voluntas sequatur, secernere ac distinguere nitentur à gratiâ Calvini irresistibili seu necessitatem afferente. Discrimen omne in eo positum est, quòd Calvinus, quippe liberior atque audacior, rem quamque ingenuè & suo appellavit nomine. Egregiam verò rationem Protestantes ad Ecclesiam revocandi, Ecclesiam ipsam vocare in partes Protestantium, adversus liberum arbitrium & bonorum operum merita! Illum igitur fructum atque exitum habuit labor *hominum illorum eruditorum, qui in Theologiâ Polemicâ cum laude versati sunt*. Imò & illud non obscurè significas, ante illud tempus,

quo recentiores illi Theologi delectationem indeclinabilem atque insuperabilem invexerunt, *Religionem nostram* adductam fuisse *in odium atque invidiam*; sed postquam illa delectatio explicata est atque exposita, minus & minus jam invidiæ atque odii perferre cœpisse; ita ut hæretici, postquam ab *eruditis* illis *Theologiæ Polemicæ* magistris impetrassent, quæcumque in illo gratiæ necessitatem afferentis negotio postulaverant, quæque debuerant vel à primis disputationum initiis impetrare, *eò se conjecerint, ut adversus Sacramenta nostra disputarent.* Quid ergo? dicetur ille Religionem nostram adducere in odium, qui dixerit hominis voluntatem esse liberam sub gratiâ, ad resistendum Spiritui sancto, efficiendumque ut homo in vacuum gratiam Dei receperit? Quid ergo? erit odiosa Religio, si quis affirmet, necessariò non fieri, ut voluntas nostra sequatur delectationem prævenientem, non esse præcepta Dei impossibilia plerisque hominibus etiam justis, & Christum ideò esse mortuum, ut salutem ope suæ gratiæ possibilem hominibus omnibus faceret? Probrosam verò reconciliationem, quam Ecclesia redimeret suæ doctrinæ veteris ejuratione! funestam pacem, quam Ecclesia deprecatur detestaturque, cujus nimirum conditiones eò pertinerent, ut paulùm immutatis vocibus ac mitigatis, impium Calvinianorum dogma palmam obtineret! Accusas, Præsul Illustrissime, quòd ex singulis Epistolæ meæ partibus appareat, me † *iis opinionibus præjudicatis abreptum esse..... quæ parum dignæ*

† *Pag. 74.*

*sint eo Præsule &c.* Et illud subjungis, debuisse me *cavere diligentiùs ab istis imperiti vulgi erroribus.* Ego verò quid maximè verum sit, non nisi cum simplicibus ac parvulis invenire cupio. Credo id quod S. Augustinus docuit, *Antistites* debere *in sacratis locis* eamdem *popularem* liberi arbitrii notionem cantare, quam *pastores cantant in montibus*; quia scilicet nobis illa *veritatis ipsius liberalitate donata* est. Atque indè consequi mihi videtur, omnem libertatis notionem atque ideam, positam in recondità quadam Scholæ subtilitate, quam plebs fidelis assequi non potest, non esse eam, quam S. Augustinus secutus est. Cum eodem sancto Doctore respondebo: * *Compescite vos*; *fateor dogma nostrum esse populare, quia populus ejus sumus, qui propterea est appellatus* JESUS, *quia salvum facit populum suum à peccatis eorum.*

Denique dolore me conficit id quod sequitur. † *Quinque propositiones*, inquis, *constant vocibus ambiguis, quæ in sententias maximè differentes, atque etiam oppositas possunt accipi.* Significas facere te libenter ut sic loquaris, quia ista oratio *accommodata est ad minuendam culpam, si qua tamen est culpa, eorum, qui propositiones illas in* Jansenii *libro perspicuè non vident.* Addis, *non sine singulari quadam animi contentione posse accuratè distingui varios sensus, quos Pelagiani & Semipelagiani, quos Thomistæ & Augustiniani, quos Molinistæ tribuunt singulis vocibus, quibus constant quinque propositiones.* Quis non jure miretur sedulitatem istam tuam in elevando atque etiam planè diluendo sectæ cri-

* Op. imp. l. 2. n. 2. † Pag. 75.

mine? Si vera sunt ista, restat illud etiam, ut incertum dicatur esse, quis sit nativus quinque propositionum sensus; neque jam licebit cum Ecclesiâ profiteri, sensum earum hæreticum eum esse, qui est *obvius, quem ipsamet verba præ se ferunt.* Si voces singulæ, quibus constant propositiones, *in sententias maximè differentes atque etiam oppositas possunt accipi*, si vel Catholici de illis *sententiis oppositis* inter se pugnant, quid est magis ambiguum, quid magis incertum, quid minùs evidens, quàm illorum quinque textuum hæreticitas? Jam si neque Ecclesia ullam habeat infallibilitatem sibi promissam in textibus dijudicandis, neque horum separatim quinque textuum hæreticitas ullo pacto sit evidens ac manifesta, dici nulla ratione potest, Ecclesiam in illâ hæreticitate decernendâ ullam habuisse infallibilitatem aut promissam aut naturalem. Quare quinque illorum breviorum textuum damnatio, ut si te audimus, nihil est aliud præter edictum quoddam ad *disciplinam* pertinens, eamque certis locis ac temporibus circumscriptam, quemadmodum & damnatio libri Janseniani, qui est textus longior, retractari facilè poterit ac revocari. Epistolam tuam his verbis concludis. † *Non mitto ad te ea quæ exscripsi ex dissertationibus Jansenianis centum & ampliùs de vocibus iis, quibus propositiones quinque constant. Timui enimvero, ne hæc scripta inciderent in manus cujuspiam, de cujus erga me benevolentiâ minùs confiderem, quàm de tuâ confido, quique illis in meum aliquod damnum abuteretur.* Et verò, Præsul

† *Pag.* 105.

Illustrissime, homines sanè minùs erga te benevoli quàm ego sum, Epistolam tuam ediderunt, ac publicæ luci commiserunt. Dissertationes illæ *de vocibus iis, quibus propositiones quinque constant*, eò tendunt, ut illæ propositiones maximè ambiguæ & maximè incertæ esse credantur. Jam si illæ propositiones ambiguæ sunt atque incertæ, consequitur hæreticitatem quinque propositionum esse problema quoddam & quæstionem ancipitem, de quâ Ecclesia sic decernit, ut neque infallibilitatem in eâ dijudicandâ, neque evidentiam habeat.

XVII.

Superest, Præsul Illustrissime, ut exponam tibi, quid voluntas erga te mea fecerit ut præsertim dolerem in eâ loquendi ratione quam adhibes, dum de Jansenii libro, de formulâ, de postremâ sanctæ Sedis Constitutione verba facis.

1. Statuis Iansenii librum esse aliud quoddam problematis & quæstionis ambiguæ genus.* Vis *minuere culpam, si qua tamen est culpa eorum, qui propositiones illas in libro Jansenii non vident.* Ad eam verò *culpam minuendam* atque elevandam, affirmas, *illius libri doctrinam neque tam esse facilem ad explicandum*, neque *tam perniciosam*, quàm mihi videtur esse; eos denique, qui eam sanam ac puram arbitrantur, *non esse tam malâ fide, quàm existimare videor.* Affirmas *utramque partem pro suâ quamque sententiâ 50. aut 60. textus afferre, alios, ut quidem volunt, aliis clariores, quibus efficiatur propositiones eo libro contineri, vel non contineri.* Igitur, Præsul Illustrissime, non jam, si te au-

* Pag. 76.

dimus, Ecclesia pugnat adversus Novatores, quos pro suo jure, & quidem necessitate cogente, jam ab annis sexaginta quavis ratione tendit adigere, ut credant hæreticitatem textûs cujusdam adversus fidem pestilentis: non sunt nisi duæ causæ, duæ *partes* adversæ, quarum utraque suam probabilitatem habeat.

2. Illud verò addis: * *Dum in Sorbonicis ædibus commorarer, hoc libro perlecto, sic mihi visum est, facilè fieri posse, ut prout quisque esset affectus animo, ac præjudicatis opinionibus tribueret, vel quinque propositiones in eo libro, vel sententiam planè contrariam inveniret. Eâ re ductus ego tutâ conscientia faciendum mihi esse credidi, ut formulæ subscriberem: sic enim mihi tum persuadebam, in tantâ rei obscuritate obsequendum esse autoritati. Annus elapsus est, & amplius eo ex quo recognovi ea, quæ per annos ampliùs 45. sic dimiseram, ut de iis ne cogitarem quidem. Atqui in eâdem jam maneo sententiâ.* Ad ista patere me, Præsul Illustrissime, ut pauca quædam animadvertam. Apertè contestaris, videri tibi Janseniani libri sensum in magnâ *obscuritate* versari. Affirmas 50. *aut* 60. *textus* afferri, quibus ostendatur systemata vel maximè inter se pugnantia eo libro contineri. Tibi *visum est facilè fieri posse, ut quis vel quinque propositiones in eo libro, vel sententiam planè contrariam inveniret.* Nihil sanè tam longè abest ab evidentiâ, quàm obscuritas illa, quâ mentes incertæ in præjudicia diversa propelluntur. Quid quòd & illud de teipso confiteris, post accuratam dis-

* *Pag.* 77.

quisitionem, post descriptas sententias ex dissertationibus centum & ampliùs, tibi *facilè* contigisse, *ut* & *quinque propositiones*, & *sententiam plane contrariam inveneris. Eâ* textûs *obscuritate nimirum ductus, tutâ conscientiâ faciendum tibi esse credidisti, ut formulæ subscriberes.* Eâ *obscuritate ductus .... sic* tibi *tum persuadebas, obsequendum esse autoritati.* Verùm, si & Janseniani libri sensus in tantâ obscuritate versatur, tamque facilè potest ad contrarias sententias accomodari, & Ecclesia non est in dijudicandis textibus immunis ab errore, quo tandem pacto *tutâ conscientiâ faciendum tibi esse credidisti*, ut jurejurando interposito affirmares, certam tibi esse, certò à te & firmè credi textûs illius hæreticitatem? Unde verò repetebas illam in credendo firmitatem? an ab infallibilitate Ecclesiæ in textibus dijudicandis? quam scilicet non agnoscebas; an ab evidentiâ textûs ipsius? quem scilicet obscurum, ambiguum, incertum judicabas. An verò conclusionem certam ac firmam deducebas ex testimonio incerto de eo textu, qui per se incertus erat atque ambiguus? Etiamne ex duobus incertis simul junctis quidquam efficitur, quod sit tuæ menti certum & exploratum? Quid esse potest in ipsâ autoritate, quæ factum proponit, magis incertum, quàm illud testimonium, quod obnoxium est errori, atque adeò quod per se tam ad falsitatem potest, quàm ad veritatem propendere? Jam quid incertum magis in ipso facto, quàm enunciatio ambigua, in quâ *facilè fieri potest*,

*ut plures sententiæ planè contrariæ inveniantur* ? Isne est existimandus *tutâ conscientiâ* agere, annon potiùs conscientiæ vocem intimam opprimere, qui jurejurando interposito affirmat, certò se ac firmè credere, cùm firmitatem nullam habeat, vel à testimonio, quod incertum est atque obnoxium errori, vel ab ipso textu, qui ambiguus est & in plures sententias æquè potest accipi?

Hæc erant, Præsul Illustrissime, quæ sanè non potui sine acerbissimo dolore scribere, cùm res Ecclesiæ publica, & dignitas illius ministerii, quod mihi commune tecum est, scribere me cogeret. Id unum tibi restat quod respondeas, illud, quod factum dicitur, non te certâ fide credidisse, sed *in tantâ obscuritate* existimasse, OBSEQUENDUM *esse autoritati*. His verbis, ni fallor, significas ita te fuisse *obsecutum autoritati* Præpositorum, ut tamen ignorares an fallerentur, nec ne. In illâ scilicet religiosâ dubitatione, cui accedebat mera voluntas obsequendi, *tutâ conscientiâ* faciendum tibi esse duxisti, ut jurejurares. Sed, obsecro, satisne esse tibi videtur mera voluntas obsequendi, ad affirmandum interposito jurejurando factum illud, quod neque ipsâ sui evidentiâ, neque eâ autoritate, quæ obnoxia non sit errori, certò innotescit?

Prætereà vestro isto cœtu anni 1660. decrevisti, *habendos esse hæreticos* eos omnes, qui facti fidem absolutam affirmare jurejurando interposito nollent. Illudne, quæso, volebas, *haberi hæreticos*, atque ut tales *castigari* eos omnes, qui sibi

non imperarent, id quod tibi imperaveras, fidem certam interposito jurejurando affirmare, licet nihil haberent præter dubitationem, cui accedebat mera voluntas autoritati obsequendi? Aut volebasne contrà, jurisjurandi concipiendi lege non teneri eos, qui non possent imperare sibi, quod tu tibi imperaveras, ut se certos esse jurarent de eo facto, quod ita esse non ponebant nisi cum dubitatione, & ex merâ obsequendi voluntate? In re tam gravi, tam lubricâ ac præcipiti, dici non potest, quàm necesse sit ut mentem ipse tuam planè & accuratè explices. Atque istam tuam rationem quantò pervestigabis diligentiùs, tantò certiùs cognosces vel invitus, quod bonâ tuâ veniâ dicam, Præsul Illustrissime, eam non satis esse veræ pietati congruentem.

3. Atque indè fit nimirum, ut formulam ipsam non sanè plurimi facere videaris. **Formula sanè*, inquis, *etiamnum subscribi jubeant quidam in privatis Diœcesibus Episcopi, quamquam id neque à sanctâ Sede sit imperatum, neque à Cleri Gallicani Comitiis, in quibus aiunt subscriptionem ab uno tantùm ex delegatis, nemine altero suffragante fuisse propositam, neque ab ullâ superiori autoritate; quamquam & illæ repetitæ subscriptiones hoc habere mali videntur, ut & intra Ecclesiam discordias foveant, & hominibus piis ac religiosis scrupulum ac sollicitudinem afferant.* Sed quo tandem jure contendis, Præsul Illustrissime, legem de obsignandâ formulâ fuisse aut revocatam, aut abrogatam, aut ipso non usu labefactatam, cùm

* Pag. 98.

optimè noveris perpetuò renovari, tum à Sede Apostolicâ, tum à cœtu Cleri Gallicani vim Constitutionum, ac nominatim Constitutionis secundæ ab Alexandro VII. profectæ, quâ formulæ jusjurandum continetur? Age verò, quid esset cur tantopere niteretur Ecclesia, ut eos omnes, qui subscribunt, adigeret ad illius, quod factum dicitur, fidem, si jam ab imperandâ formulæ subscriptione desciisceret? Denique tibine videtur formula, quam Ecclesia proponit, esse dissidiorum seges, atque apta ad fovendas in Ecclesiâ discordias? Illud videris pertimescere, ne juramentum ejusmodi *homines* è sectâ *pios ac religiosos* exagitet, atque ad veræ docilitatis partes reducat.

4. De formulâ, quæ à Cleri conventu anno 1657. fuit instituta, atque à vestro anni 1660. cœtu confirmata, illud addis, sic plurimos existimasse, * *potuisse eam sine ullo incommodo prætermitti.* Et certè nihil est quod prætermittatur libentiùs, quàm jusjurandum, quo tanquam certum affirmatur id, quod dubium atque ambiguum videtur, ita ut non affirmetur nisi ex merâ obsequendi voluntate, & illi scilicet autoritati, quæ tamen existimatur esse ejusmodi, ut ipsi obsequentes inducere possit in errorem.

5. Non id jam agitur, Præsul Illustrissime, num Ecclesia sit, necne, in textibus dijudicandis immunis ab errore. Hanc ego controversiam ad punctum temporis omitto; de quâ quidquid nunc sentire tibi libeat, perspicis certè, silentium

* *Pag.* 46.

obsequiosum, quamlibet a te mitigatum ac temperatum, improbari tamen ac damnari uno Præsulum omnium Gallorum consensu, eorum etiam, qui tibi esse videntur eruditissimi, sicque ab iis haberi, quasi eo adhibendo *probosa dissimulatio* comprobetur, & ea quidem *cum perjurio conjuncta* in fidei professione.

6. Librum verò Jansenii quod attinet, textus ipse adeò per se clarus ac manifestus est, ut ad eum intelligendum longè sit opportunius, eum absque ullo præjudicato integrum legendo decurrere, quàm *centum & ampliùs dissertationes excutere.* Et sanè, si quinque propositionum nomine intelligitur sensus ille violentus atque alienus, qualem exhibet prima columna scripti illius, quod à tribus columnis dicitur, quodque homines è sectâ Innocentio X. obtulerunt, solis luce clarius est, quinque propositiones libro Jansenii non contineri. Sed quis tandem censebitur universæ Ecclesiæ illudere, si non illudit ille, qui pro sensu nativo ac proprio quinque propositionum obtrudit sensum illum commentitium ac vanum, quem vel homines è sectâ fatentur esse sensum *alienum, qui* illis *malignè affingi posset*, quem *tamen* illæ *legitimè sumptæ non habent.* Ingenuitas tua atque probitas numquam sinet, ut captiosa hæc & fallax adversus Ecclesiam ratio tibi probetur, si semel ad eam paulò diligentiùs adverteris. Si verò solum Jansenii textum, eumque integrum perlegere volueris, & conferre cum famosis quinque propositionibus, nullâ adhibitâ hominum è sectâ dis-

sertatione, quæ sit instar commentarii cujusdam, facilè intelliges, utriusque illius textûs non posse unquam esse nisi unum eumdemque sensum. Porro sensus ille obvius, ac veluti in oculos incurrens in utroque textu simul damnato, eò tendit, necesse esse ut hominis voluntas operetur, hoc est, velit secundum majorem delectationem, actu prævenientem, nullamque esse post Adami lapsum gratiam aliam interiorem homini concessam, præter delectationem prævenientem, cui assentiri vel dissentire non sit in liberi arbitrii potestate; quia cum ea delectatio sit ad illud temporis punctum validior, liberum arbitrium agit ac determinat ad bonum indeclinabiliter & insuperabiliter. Hoc est nimirum systema, quod Ianseni us vult esse S. Augustini. Hoc ipsum est, quod homines è sectâ nomine *gratiæ ex se efficacis* agnoverunt esse systema, * *cum quo* illæ quinque *propositiones inviolabili*, ut aiunt, *atque insolubili nexu conjunctæ sint*. Hoc ipsum est systema, quod homines è sectâ Romæ propugnaverunt, vel proximâ antequam damnaretur die. Hoc ipsum est, quod illorum adversarii sic perpetuò impugnaverunt, ut Iansenii proprium nullum unquam aliud esse dixerint. Hoc ipsum est systema, de quo an sit catholicum, an hæreticum, jam ab annis 60. disceptatur. Quod homines è sectâ factum appellant, utrimque pariter convenit, tametsi illi homines id agunt sedulò, ut de eo solo contendere videantur. Convenit enim & constat inter omnes, tam quinque propositionibus, quàm Jansenii libro syste-

* *Iournal de S. Amour pag* 471.

ma illud, quod modò exposui, æquè contineri ; sed de jure nimirum non convenit. Nam homines quidem è sectâ volunt, hoc systemate contineri puram ac meram S. Augustini doctrinam : Ecclesia verò idem hoc systema damnat, tamquam quod hæreses quinque complectatur. Et verò si quis hoc sumpserit, nullam esse ampliùs in præsenti statu gratiam interiorem præter delectationem eam, quam necesse sit ut voluntas sequatur, quia ea delectatio voluntatem indeclinabiliter atque insuperabiliter determinat ad bonum, ex eo manifestè ista consequuntur.

1. Præceptum Dei Justo cuilibet est impossibile, etiam illo ipso temporis puncto quo urget, si justo illi ad illud ipsum temporis punctum deest delectatio insuperabilis ad actum imperatum.

2. Voluntas in statu præsenti interiori gratiæ nunquam resistit, quia in statu præsenti nulla prorsus est gratia, quæ non sit delectatio indeclinabilis atque insuperabilis voluntati ad illum ipsum actum, cujus ratione est gratia.

3. Ad merendum & demerendum in hoc statu, satis est si voluntas non cogatur, & velle velit id quod vult, licet aliunde necesse sit ut id velit, quod delectatio illa insuperabilis efficit ut velit.

4 Ea gratia, cui consentire, vel dissentire relinqueretur in liberi arbitrii potestate, gratia foret propria naturæ integræ atque innocentis, cujusmodi gratiam hæretici Pelagiani volebant, reclamante S. Augustino, etiam in hoc statu nostro reperiri.

5. Denique

5. Denique, cùm delectatio insuperabilis sola sit interior gratia, quæ nostro huic statui conveniat, Christus gratiam salutis non promeruit nisi solis prædestinatis, siquidem soli sunt prædestinati, qui acceperint delectationem illam insuperabilem ad finalem perseverantiam atque ad salutem.

Hic ipse est, Præsul Illustrissime, sensus proprius, nativus, ac manifestus, qui tam quinque propositionibus, quàm Jansenii libro continetur. Controversia illa facti (dicendum est enim sæpius) nomen vanum est quod obtruditur. Non Jansenismus, quod aiunt illi, phantasma est & commentum quoddam inane: commentum si quod est, est illa facti controversia. Tota quippe, quanta quanta est, de jure controversia est. Hoc verum esse Jansenii systema, utrimque convenit. Hoc jam à tot annis, sine ullâ ambiguitate, sine ullâ intermissione, alii defenderunt, alii accusaverunt. De hoc eodem systemate pronunciavit Ecclesia, nisi quis fortè dixerit, eam pronunciavisse de re quadam commentitiâ, de quâ nemo contendebat. Quisquis hoc systema propugnat, illi necesse est ut quinque propositiones puræ, accuratæ, moderatæ, atque ab omni censurâ immunes esse videantur. Contrà verò, quisquis hoc systema hæreticum esse confitetur, ille necesse est ut hæresim comperiat ad singulas Jansenii pagellas incurrentem in oculos, æquè ac in quinque propositionibus. Bona fides id postulat, ut & omittatur facti controversia, & in juris controversiâ demissi animi

obsequium exhibeatur; neque jam Calviniana tota hæresis posita esse dicatur in commentitio illo dogmate *liberi arbitrii per gratiam coacti*, sed agnoscatur planè, pertinere ad Calvinianam hæresim illud dogma, quo negatur ulla esse alia gratia interior, præter delectationem eam, quam necesse sit ut voluntas sequatur, quia ea indeclinabilis est atque insuperabilis. Tum verò eo decreto, quo dirempta est vera juris controversia, tolletur atque evanescet controversia facti, quæ tota commentitia est atque ad illudendum apposita.

XVIII.

Duplex finxisti silentium obsequiosum, Præsul Illustrissime, ut scilicet postremam Constitutionem eluderes tum maximè, cùm eam admittere videreris. * *Id verò*, inquis, *non nisi falsò jactari posse patet vel ex hoc nostro obsequioso silentio, si nativo suo sensu sumatur atque intelligatur, non illo perverso usu, quo summus Pontifex illud modò damnavit.* Atqui solis luce clarius est, ut jam animadverti, eam censuram iniquam esse, quâ damnatur textus ille, qui si *nativo suo sensu sumatur atque intelligatur*, nihil quidquam habet mali. Qui censuram non admittit nisi eo sensu, qui non est nativus textûs damnati sensus; is profectò textum ipsum approbare pergit, censuramque eludit tùm maximè, cùm eam admittere videtur. Hujus verò rei Ecclesiam universam testem esse volo. Hac de re non jam tibi mecum, sed cum Apostolicâ Sede disceptandum est. Ais summum Pontificem de illo silentio ita statuisse, ut

* *Pag. 34.*

† *decerneret tantùm, illud non satis esse, juberetque ipsi adjungi obsequium interius, quo factum credatur.* Sed ut jam non hæreamus in illâ controversiâ, quam homines è sectâ movent de ambiguo fidei divinæ nomine, quæro utrum illa facti fides sit certa, absoluta, non obnoxia mutationi, qualem certè fidem postulat jusjurandum illud, quod Ecclesia jubet adhiberi in fidei propositione. Si fateris, Ecclesiam omnino postulare fidem hanc certam; neque obnoxiam mutationi; si & illud addis, ejusmodi fidem Ecclesiæ postulanti negari non debere, superest ut quæram, quid igitur sit quòd Episcopi quatuor adduci non potuerint, ut formulæ absque ullâ exceptione aut restrictione subscriberent? Quid est quòd in facti controversiâ silentium obsequiosum satis esse prætendebant? Quid est quòd Episcopi XIX illos quatuor in ejusmodi causâ defendebant? Si voluissent ab unoquoque credi factum certâ fide, neque obnoxiâ mutationi, nihil erat cur tantas tragœdias agerent, & periculum adirent Episcopalis sedis amittendæ. Quin potiùs jurejurarent ipsi, atque aliis jusjurandum imperarent absque ullâ restrictione de illo facto, quod scilicet volebant tum ipsi credere, tum ab omnibus certâ ac firmâ fide credi. Erat enimvero absurdum, cùm ita essent affecti, nihil aliud Ecclesiæ polliceri præter silentium obsequiosum. Neque enim satis est eum polliceri; fore ut præ obsequio & reverentiâ taceat, cui persuasum est, accedere præterea fidem eamque certam oportere. Qui verò fidem certam habere

† *Pag.* 81.

vult, is certè non satis habet silentium obsequiosum polliceri. Denique qui vult certò credere, ille tantùm abest ut indigeat obsequioso silentio, ne scilicet suâ oratione Ecclesiam lædat, ut contrà promptus sit semper ac paratus ad suos animi sensus oratione declarandos. Quid igitur, Præsul Illustrissime, ista flexiloqua & ambigua verba significant? Non satis est dicere, summum Pontificem hoc jubere, ut *adjungatur obsequium interius, quo factum credatur*. Id quæritur, num tibi persuasum sit, summum Pontificem rectè facere, dum illud jubet; num tibi persuasum sit, ab unoquoque haberi oportere *facti fidem*, quam summus Pontifex postulat, certam & mutationi non obnoxiam. Hoc ipsum est controversiæ nostræ caput, de quo ut apertè ac sine ullâ circuitione pronuncies quid sentias, obsecro te, & per illud depositum, cujus cura nostrûm utrique pariter commissa est, etiam atque etiam obtestor. Neque verò satis est dicere, * *summo Pontifici, qui hodie regendæ Ecclesiæ præpositus est, visum esse plura tentare, quàm ipsius decessores tentavissent, atque illum adeò statuisse, Constitutionibus Apostolicis obsequioso silentio minimè satisfieri.* Nam summus quidem Pontifex non plura tentavit, quàm ipsius decessores tentaverint, siquidem & numquam ipsius decessores fecêre potestatem sic jurandi, ut certa fides non adjungeretur, & eam certam fidem satis habet summus Pontifex, quæ niti non potest nisi eâ autoritate, quæ sit falli & fallere nescia. Deinde verò

* *Pag.* 31.

non illud quæritur, num tibi jam persuasum sit, id quod summus Pontifex & Ecclesia universa postulat, silentium obsequiosum, quamlibet mitigatum ac temperatum, non satisfacere Constitutionibus, & necesse esse ut unusquisque fidem certam & mutationi non obnoxiam habeat. Quamdiu perges ita dicere, rem hanc totam non pertinere nisi ad institutum quoddam disciplinæ, cujus natura est ut mutari possit interdum, non facilè adducar ut existimem, tibi quidem satis persuasum esse, Ecclesiam pro suo jure posse fidem illius, quod factum dicitur, certam & mutationi non obnoxiam imperare.

Atque illud prætereà me longè magis angit ac dubium tenet, quod ais, * *XXIII Episcopis silentium obsequiosum visum esse accommodatum atque omnino sufficiens ad sedandos animos, turbas compescendas, & pacem ac tranquillitatem Ecclesiæ restituendam. Eam loquendi rationem*, inquis, Præsul Illustrissime, *illi adhibuerunt, quæ tum erat in usu, hodieque si forent in vivis, eo modo loquerentur, quo Ecclesia loquitur, atque ultro Sanctissimi Domini Constitutionem cum suis Collegis admitterent; cui scilicet nihil aliud fuit propositum, quàm ut efficeret, ne silentii nomine obtegeretur consilium sanè perniciosum propugnandæ illius doctrinæ, quæ propositionibus quinque continetur, quod & ipse satis apertè declarat.* Quare videris hanc tenere rationem, quæ est hominum è sectâ, ut decretum omne velis pertinere tantummodo ad quamdam locutionis mutationem. Horum scilicet

* *Pag.* 82. & 83.

Episcoporum tempore silentium obsequiosum sumebatur *sensu* proprio atque harum duarum vocum *nativo*. Tum verò videbatur illud esse *accommodatum atque omnino sufficiens ad sedandos animos ..... & pacem ac tranquillitatem Ecclesiæ restituendam*. Igitur si te audimus, summus Pontifex postremâ suâ Constitutione illud silentium accipit eo sensu, qui non nativus est ac proprius. Affirmas futurum fuisse, ut illi Episcopi, si quidem ad hæc tempora viverent, adduci se paterentur ad hunc significationem minùs propriam, novamque hanc locutionem approbandam. Illi scilicet loquendi rationem, quæ nunc est in usu, sic adhiberent, ut tamen mentem eamdem sententiamque retinerent: nam te quidem profiteris in eâdem, quâ semper fuisti, mente ac sententiâ permanere. Videris igitur sic existimare, Constitutionem ab Ecclesiâ eà tantùm de causâ receptam esse, & silentium obsequiosum ab eâ repudiatum quasi minimè sufficiens, quatenus eo silentio quidam homines abuti possent, ut ipsius *silentii nomine obtegerent consilium sanè perniciosum propugnandæ illius doctrinæ, quæ propositionibus quinque continetur*. Hanc rationem dum tenes, videris, si verè loqui volumus, non silentium ipsum damnare, sed vituperare dumtaxat perversum silentii illius usum; imò videris non tam timere, ne quis malè abutatur hoc silentio, quàm ne quis illud silentium tam sufficiens, tam aptum ad rés omnes atque accomodatum omittat. Cogis nos propè ut credamus, eum tibi videri

Ecclesiæ consentire in accipiendâ Constitutione, qui sic jurat, ut tamen non habeat absolutam, atque integram facti fidem, modò ~~tamen~~ ille non obtegat *consilium sanè perniciosum propugnandæ illius doctrinæ*, quam tu quidem contendis *propositionibus quinque contineri*. Ita pergis : * *Nisi vocum harum duarum simul conjunctarum sensum nativum ac proprium quidam homines malignè detorsissent, nempe ut eas summo Pontifici suspectas efficerent, numquam ille voces has duas spectasset ut perduellionis ac contumaciæ signa &c.* Quare sic existimas, Præsul Illustrissime, silentium hoc a summo Pontifice non fuisse damnatum tanquam minimè sufficiens, nisi sensu *malignè detorto*, & contra *sensum nativum ac proprium*. Itaque non nisi per fraudem adductus est summus Pontifex, ut hocce judicium ferret. *Malignè* ac nullo prorsus jure, fecerunt, qui dederunt operam, ut silentium hoc ipsi *suspectum* esset. De hoc silentio longè prudentius fuerat, si te audimus, Clementis IX. consilium, quàm fuit posteà Clementis XI. † *cùm ille usus eâ facilitate atque indulgentiâ, quæ maximè deceret universæ Ecclesiæ Caput, & communem fidelium omnium parentem, amplexus est silentium obsequiosum tamquam valde accomodatum ad reconciliandos animos, & pacem Ecclesiæ confirmandam; atque eo pacto nimirum mansit ea pax ad plures annos.*

Quis non videt, Præsul Illustrissime, ex istâ totâ oratione tuâ confici, novâ Constitutione, nihil nisi turbari pacem eam, quæ fuerat à Clemente IX. constituta, siquidem Clemens XI.

* *Pag.* 84. † *Pag.* 85.

sensu *detorto* ac minùs proprio sumit silentium illud obsequiosum, quod Clemens IX. *sensu nativo* ac proprio sumpserat. Atque istam tuam mentem explanant atque apertiùs declarant ea quæ subjicio.

*Sic nobis visum fuerat*, inquis, *satis significari reverentiam, quæ summorum Pontificum decretis exhiberetur, si ad silentium obsequiosum accederet comminatio de iis omnibus castigandis, qui Pontificiis Bullis in facti negotio parere recusarent. Et verò annos triginta & ampliùs pax est consecuta. Sed quia quibusdam hominibus collibitum est vocem illam sic interpretari, ut eâ excluderetur omne obsequium Ecclesiæ de factis judicanti, omnis fides &c.* Ostendi perspicuè, ni fallor, Præsul Illustrissime, rem illam totam minùs diligenter tibi fuisse cognitam. Doctores 40. obsequium ejusmodi etiam interius admisere, non minùs quàm tu admiseris; illi æquè ac tu credidere, omnino Ecclesiæ deberi eam, quam præsumptionem atque observantiam appellant, licet non debeatur ipsi fides certa neque obnoxia mutationi. Addis fuisse, qui malignè * *significarent, eos qui persuasum non habent Jansenii factum, silentio suo obsequioso celare, non modò mentem Ecclesiæ decreto contrariam, sed etiam voluntatem & consiliũ reclamandi, & contra Bullas Pontificias scribendi ac loquendi &c.* Ea verba qui audit, is profectò intelligit, sic tibi videri, silentium obsequiosum non sufficere, quatenus illud non servatur, imò & non posse illud non satis esse, nisi adsit *voluntas & consilium reclamandi, & contra Bullas Ponti-*

* *Pag.* 86.

*ſciat ſcribendi ac loquendi*. Næ illud ſilentium perquam bonum ac laudandum eſt, cujus violandi ſola voluntas & propoſitum poteſt improbari!

Cæterùm, Præſul Illuſtriſſime, minimè hîc agitur, quid expoſitum ſummo Pontifici fuerit de eorum hominum ſtudiis, qui eo ſe ſilentio continent. Totius rei caput in eo eſt, quòd Eccleſia pati ac ſuſtinere non poſſit, factum quodpiam ab eo jurari, qui factum illud fide certâ non credat, nihilque aliud velit præter ſilentium obſequioſum polliceri. Verbo dicam: ex hìs duobus alterum neceſſe eſt ut concedas. Si enim fateris, debere factum fide certâ credi, & quæ mutationi non ſit obnoxia, nullus ampliùs obſequioſi ſilentii ſenſus, nullus verus uſus eſſe poteſt. Sin verò fidem illam certam neque obnoxiam mutationi ab omnibus habendam non cenſes, rejicis Conſtitutionem, & ſolus adverſus Eccleſiam univerſam inſurgis.

Iſta prætereà verba tua ſunt: † *Igitur hoc unum de his vocibus pronunciari poteſt, iis illud idem contigiſſe, quod aliis plurimis contigit, ut nunc erroris, nunc fidei catholicæ ſignum ac ſymbolum fuerint, neque tamen proptereà jure vituperari poſſint ii, qui illas ſenſu nativo uſurpavere*. Inde conficitur, videri tibi 40. Doctores non potuiſſe *jure vituperari*, nedum tam atrocibus notis configi, tam gravi cenſurâ damnari, ſi modò ſilentium obſequioſum acceperunt *nativo* vocum ipſarum *ſenſu*, quo ſcilicet tu accepiſti. Atqui ipſis Doctorum illorum verbis feci manifeſtum, eos ſilentium ob-

† *Pag*. 86.

sequiosum accepisse eo sensu, quem tu vis earum vocum *nativum sensum* esse, quo nimirum significatur obsequium interius, ac vera animi observantia, sine ullâ certâ facti fide. Igitur tibi 40. Doctores, æquè ac XIX. Episcopi, videntur non posse *jure vituperari*. Ex quo sequitur, Constitutionem ipsam, & ea Mandata, quibus Doctores illi innoxii tam severè damnantur, injusta esse, & per vim ac tyrannidem lata. Quid quòd & silentium obsequiosum cum ipsâ *Consubstantialis* voce comparas, ac deinde sic prosequeris: * *Illud idem absque dubio continget in Janseniano facto, atque ætates venturæ mirabuntur, tamdiu fuisse qui crederent, pertinere ad dignitatem suam, ut aliorum mentem alii assequi nollent, atque adeò oportuisse, ut Sedes Apostolica tam sæpe pronunciaret de iis erroribus, quos à se damnari omnes ultrò profitentur.* Videtur itaque *Sedes Apostolica tam sæpe*, nimirum editis quinque Constitutionibus, prætereàque tot Brevibus, *pronunciavisse* de commentitiis quibusdam erroribus, de quibus ne semel quidem pronunciare necesse fuit, siquidem eos *à se damnari omnes ultrò profitebantur.* De iis Clerus Gallicanus tam sæpe, tam inutiliter, quàm Sedes Apostolica pronunciavit. Id unum agebatur, quòd erant *qui crederent, pertinere ad dignitatem suam, ut aliorum mentem alii assequi nollent.* Nimirum adversarii eorum, qui se S. Augustini discipulos prædicabant, eos audire noluerunt, dum afferrent argumenta sanè gravissima & firmissima, quibus causam suam comproba-

* *Pag.* 93 & 94.

bant. Atque illud est scilicet, quod, si te audimus, *ætates ventura mirabuntur.*

Verùm expendamus, quæso, rationem eam mediam, quam tibi inter summum Pontificem & homines è sectâ ineundam esse duxisti. † *Laudabitur*, inquis, *eorum studium, qui illud propugnaverunt, quod ipsis è dignitate atque commodo Ecclesiæ maximè futurum esse videbatur.* Hanc XXIII. Episcopis laudem tribuis. Summi verò Pontificis hanc laudem propriam facis. *Neque rejicietur ea cura, quâ summus Pontifex usus est in damnandis iis vocibus, quæ cùm primùm puræ & absque veneno fuissent, posteà sunt ad perversum usum adhibitæ.* Non obscurè significas, Præsul Illustrissime, venturas ætates eo nomine laudaturas esse studium Episcoporum XXIII. tum quòd silentium obsequiosum in facti controversiâ propugnaverint, tamquam id *quod ipsis è dignitate atque commodo Ecclesiæ maximè futurum esse videbatur*, tum quòd illud *nativo ac proprio sensu* acceperint. Summi verò Pontificis, inquis, *non rejicietur ea cura, quâ usus est in damnandis iis vocibus, quæ primùm puræ & absque veneno fuerunt*, quæ etiamnum venenum nullum habent, nisi *detorqueantur* ad sensum alienum atque à proprio sensu discrepantem. Cæterùm ostendi, perversum illum, quem memoras usum, totum esse commentitium. Non alium 40. Doctores illius usum adhibuerunt, quàm qui à te fuit adhibitus. Itaquè sic existimas, silentium illud non fuisse à summo Pontifice damnatum, nisi sensu

† *Pag* 34.

quodam alieno ac *detorto*, non autem nativo ac proprio; non fuisse damnatum, nisi propter perversi cujusdam usûs metum commentitium, de quo homines quidam fraudulenti plura etiam dixere quàm veritas pateretur, *ut nimirum eas* voces *suæ Sanctitati suspectas efficerent.* Jam verò omitto quærere, utra sit laus illustrior, eáne quam tribuis silentii obsequiosi patronis, quia illud proprio ac nativo sensu acceptum forti animo propugnaverint, an ea quam summo Pontifici concedis, quòd voces quasdam sensu *detorto* ac minùs proprio acceptas damnaverit, propter *perversum* aliquem *usum*, de quo fraudulenti homines & pacis inimici ipsi multa retulerunt. Utut est, certè significas videri tibi, Constitutione nihil nisi *damnari voces* quasdam, & eas quidem sensu *detorto* acceptas.

Si verò quis paulò diligentiùs perspicere velit, quid tandem intelligas isto obsequio interiori, atque istâ facti fide, quæ duo ad silentium tuum obsequiosum adjungis, legat sanè quæ ex Epistolâ tuâ desumo, * *Illi verè, bonâ fide, atque ex animi sententiâ crediderunt, propositiones ex Iansenii libro desumptas, damnatas ab Ecclesiâ fuisse, statueruntque huic Ecclesiæ decreto numquam aut directè aut indirectè repugnare, atque ita se affectos esse juraverunt, dum formulæ subscripserunt, omissâ omni de Janseniano facto disquisitione.* Istis verbis non damnas eos, qui sic affecti sunt, imò valdè improbas, eos à me damnari. Qui tamen eo sunt animo, nullam habent

* *Pag.* 96.

certam facti fidem, si quidem ponis eos, *omissâ omni de Ianseniano facto disquisitione*, id unum tenere, ut *credant propositiones ex Iansenii libro desumptas, damnatas ab Ecclesiâ fuisse, statuantque huic Ecclesiæ decreto numquam aut directè aut indirectè repugnare.* Non is credit, quinque hæreses esse accuratè desumptas ex Jansenii libro, atque illo verè contineri, qui tantùm *credit*, hæreses quinque ab Ecclesiâ seu bene seu perperam *desumptas*, ab eâdem fuisse *damnatas*. Non modò postulat Ecclesia ut quisque credat, ipsam sibi videri accuratè desumpsisse ea quæ desumpsit, & rectè decrevisse ea quæ decrevit: postulat præterea ut quisque credat idem, quod illa credit de suâ tum in desumendo diligentiâ, tum in decernendo æquitate. Deinde verò, qui *statuit huic decreto numquam aut directè aut indirectè repugnare*, non ille decreto ipsi assentitur, sed tantùm tacet, atque alios huic assentiri & credere sinit: non ille fatetur silentium obsequiosum non satis esse, imò se hoc obsequioso silentio continet: non ille certò credit id, quod Constitutione decretum est, sed id tantùm ex merâ observantiâ seu obsequio suscipit. Atque hoc tamen animo velles jurare eos, qui formulæ subscribunt.

## X I X.

Denique vis haberi *errorem imperiti vulgi* .... *& commentum* .... *adversus eos qui Janseniani vocantur*, sententiam eorum omnium Episcoporum, quibus persuasum est, quamdam esse sectam hominum, qui obstinatè credant sen-

sum nativum quinque propositionum; *qui si minùs eos errores palàm atque apertè profiteantur, clàm certè & cum cæteris congerronibus suis non dissimulent. Ista*, inquis, *calumnia*, *reprehensione non indiget* : *si enim fuissent homines ejusmodi*, *dubium non est quin comperti fuissent aliqui*, *cùm diligenter jam ab annis* 60. *conquirantur*. Sed ut omittam hoc loco meis argumentis demonstrare, nimiùm sæpè comperiri eos, quos *jam ab annis* 60. nullos esse pugnas, facio libenter ut ipse sileam, atque id quod à te præsertim opponi non possum non vehementer admirari, confutari sinam tùm à Sede Apostolicâ, tum à Clero Gallicano. Nam obsecro, idne unum agit Sedes Apostolica *jam ab annis* 60. ut tot Constitutionibus, tot Brevibus commentum inane percellat atque affligat, in eo semper obstinata, ut sibi verum corpus esse persuadeat ? An veró Gallicanus Clerus *jam ab annis* 60. vanam imaginem atque umbram ridiculam persequitur ? Fuitne Clerus ille rationis ac mentis inops, cùm anno 1700. damnavit hanc hominum è sectâ propositionem, *Phantasma Iansenismi quæsitum ubique, sed nusquam repertum*, *præterquam in laboranti quorumdam phantasiâ*. Cleri cœtus affirmavit, eos qui sic loquerentur, esse *inquietos homines*, *qui Constitutiones apertè contemnunt*. Atque hanc propositionem cum aliis declaravit esse *falsam*, *temerariam*, *scandalosam*, *contumeliosam in Clerum Gallicanum*, *in summos Pontifices*, & *in universam Ecclesiam*, *schismaticam*, & *erroribus condemnatis faventem*.

Quid est igitur, Præsul Illustrissime, quòd ais jam ab annis 60. conquiri ejusmodi *phantasma*, nusquam reperiri? Tot Episcopos omnibus ex Provinciis collectos oportuit sanè diligentiùs cognoscere, quàm tu unquam cognoveris, universum Gallicarum Ecclesiarum statum. Quid est quòd significas, jactari nomen cujusdam hæreseos, quæ tota commentitia est, ut eâ causâ malè habeantur veri S. Augustini discipuli; eo pacto violari in Galliâ Ecclesiæ pacem, quæ scilicet per obsequiosum silentium feliciter constituta, jam labefactetur, dum quidam homines, severiùs quàm par est, postulant certam facti fidem ab iis, qui formulæ subscribunt? Quid moraris, Præsul Illustrissime, confiteri id quod universa sentit Ecclesia, solam esse sine ullâ exceptione obedientiam, quæ veram pacem afferre possit; pacem verò simulatam aut ementitam longè plus habere periculi, quàm bellum apertum ac manifestum? Denique non possum quin dicam, ipsius obsequiosi silentii leges à te violari, dum Epistolâ tuâ tam splendidè declaras, à te Constitutiones eludi, quas summo studio & Christianâ simplicitate excipere debueras.

Iterum fortasse libebit tibi conqueri, quòd ego te *incusare* aggrediar, & veluti oculos tuos aperire, quasi eos penitus occlusos habeas. Sed ego reponam illud quod S. Augustinus S. Hieronymo respondebat conquerenti, quòd fuisset ab ipso reprehensus. * *Neque hoc ideò dico*, inquiebat ille, *ut oculos cordis recipias, quos absit ut amise-*

* *Epist.* 40. n. 7.

*ris, sed ut advertas, quos cùm habeas sanos & vigiles, nescio quâ dissimulatione avertisti, ut non intenderes*, quò pertraherent illa quæ assumis, quamlibet aliunde piam ac rectam mentem & voluntatem geras.

X X.

In quo verò me accusas, quòd ex Epistolâ tuâ quædam verba retulerim, facilè me tuebor, si hæc duo demonstravero; primum quidem, orationem tuam à me nullo pacto fuisse immutatam; alterum verò, non sine argumento me ex tuis dictis ea collegisse quæ collegi.

1. Verba mea, quibus & tua retuli, repræsento. † *Sperasti, Illustrissime Præsul, declinaturum te ab istâ difficultate, si sic loquereris.* [AUTORITAS ALIQUOD DOGMA CONSTITUENDI CONFUNDENDA NON EST CUM ILLO JURE, QUO ARCHIEPISCOPUS ET FACULTAS CENSURÂ CONFIGERE POSSUNT, UT RE IPSA CONFIXERUNT, CASUM, TAMQUAM VIOLATIONEM SILENTII RELIGIOSI, ET DISCIPLINÆ JAM IN DIOECESI PARISIENSI ET CONGREGATIONE FACULTATIS CONSTITUTÆ; SI RATIONES OBVIAS QUASQUE IN USUM DEDUXERUNT, QUÒ POTESTATI SUÆ JUS LEGITIMUM ADSCISCERENT, ET REPREHENDERENT ID, QUOD CENSURA NOTARE VOLUERUNT ...... ] Equidem hæc verba, quæ duabus ansulis inclusa sunt, lineâ inferiùs ductâ notaveram, ut omnes intelligerent ea esse tua: & ille usus obtinet in iis, quæ manu scribuntur, quemadmodum in iis quæ eduntur typis, valet consuetudo, ut ea, quæ ex aliis deprompta

† *Pag.* 48. *Edit. Lat.*

laudantur, edantur Italico caractere. Præterea dum ego scripsi, puncta aliquot, ut par erat, apposui post illa verba, *& reprehenderent id, quod censurâ notare voluerunt.* Enim vero ita vulgò faciunt, qui sumpta ex aliis verba referunt, ut significent, alienis illis verbis non absolvi periodum integram, quæ nimirum alia quædam verba complectatur adjuncta apud Autorem ipsum quem appellant. Est igitur æquitatis tuæ, Præsul Illustrissime, non accusare fidem aut diligentiam meam, quòd dum ego scriberem, lineâ inferiùs ductâ notavi tantùm ea verba, quæ planè tua sunt; & postremæ periodi partem ita retuli, ut deinceps puncta aliquot apponerem, quibus significarem, periodum tuam his quæ referebam verbis non esse absolutam. Et verò periodus integra, quam tu repræsentas pag. 60. & 62. secundæ tuæ Epistolæ, est ejusmodi: *Si rationes obvias quasque in usum deduxerunt, quò potestati suâ jus legitimum adsciscerent, & reprehenderent id, quod censurâ notare voluerunt, par est credere, nihil aliud ipsis spectasse, quàm ut idem institutum tenerent, quo jamdudum utebantur, non verò ut damnarent eos, qui in ipsorum potestate at ditione non sunt, aut ejusmodi dogma ab omnibus admitti vellent.* Faciet profectò, Præsul Illustrissime, tuus iste pudor ac fides, ut verba tua ultrò recognoscas. Igitur dum ego scriberem, lineâ inferiùs ductâ notavi tantùm ea verba, quæ planè tua esse profiteris Epistolæ tuæ secundæ paginâ 60. & 62. Puncta verò aliquot apposui post illa ver-

ba, *& reprehenderent id*, *quod censurâ notare voluerunt*, ut significarem, periodum tuam his quæ referebam verbis non esse absolutam. Atqui nulla magis accurata diligentia potuit afferri. Quid est igitur, Præsul Illustrissime, quòd me istis verbis increpas? *Postrema verba lineâ inferiùs ductâ notas, & apponis puncta, in quibus aliquid videtur esse mysterii. Verùm neque verba, neque puncta mea sunt. Hæc nimirum adhibes, ut confirmes illud, quod vis de meis dictis existimari.* Atqui, Præsul Illustrissime, modò vidimus ea omnia verba, quæ ego sic mihi tribui, ut ea lineâ inferiùs ductâ notarem, planè tua esse, siquidem ea ipsa tu refers paginis jam appellatis, atque agnoscis esse tua. Et illud quoque vidimus, puncta illa non modò nihil habere *mysterii*, sed pertinere ad probandam eam diligentiam, quâ cavi, ne periodum tuam referrem quasi absolutam, quæ absoluta non esset. Atque eâ quidem in re totâ non discessi à pervulgato Scriptorum omnium usu, qui nihil sanè *mysterii* complectitur. Quare quæ ex Epistolâ tuâ retuli, diligenter & accuratè relata esse constat.

2. Superest ut ostendam, me non sine argumento ex tuis dictis ea collegisse quæ collegi. Hoc autem sic ostendo. 1. Qui ita pronunciat (Si per hyemem sol a nobis discedit, idem ad nos certè redibit per æstatem) is verum ponit, solem à nobis hyemis tempore discedere. Qui sic loquitur [Si nobis nox solis lumen præripit, at certè lumen lunæ nos aliquâ ex parte sublevat) is profectò significat, nobis nocte solis lumen præripi.

Pariter cùm tu sic ais, *Si rationes obvias quasque in usum deduxerunt, quò potestati sua jus legitimum adsciscerent, & reprehenderent id, quod censurâ notare voluerunt, par est credere, nihil aliud ipsos spectasse &c*, solis luce clarius est, te intelligi voluisse, illos *rationes obvias quasque in usum deduxisse*. Tametsi ea enunciatio particulam *Si* habeat adjunctam, unde videatur ex aliquâ conditione pendere, est tamen manifestum, sensum illius affirmantem esse atque ab omni conditione solutum. Idem est enim prorsus ac si dixisses, Etiamsi *rationes obvias quasque in usum deduxerint*, tamen *par est credere, nihil aliud ipsos spectasse, quàm ut idem institutum tenerent &c.*

2. Quid verò magis contumeliosum in Præpositos dici potest, quam eos *rationes obvias quasque in usum deduxisse*? Sic enim statuis, Præsul Illustrissime, eos primùm decrevisse, silentium obsequiosum omnino esse censurâ configendum; deinde illos non conquisiisse, non delegisse firma quædam argumenta, quibus *potestati sua jus legitimum adsciscerent*, & quibus quasi fundamentis obsequiosi silentii & à 40. Doctoribus approbati censura niteretur. Sine delectu *rationes obvias quasque in usum deduxerunt*, inquis: commodum visum est, quidquid fors objecit. Quid ita? an ut silentium obsequiosum probarent, quod tibi quidem videtur & *suo nativo sensu* acceptum vacare culpâ, & malum non esse, nisi alieno ac minùs proprio sensu accipiatur? Imò verò, ut *potestati suæ jus legitimum adsciscerent* adversus si-

sequiosum accepisse eo sensu, quem tu vis earum vocum *nativum sensum* esse, quo nimirum significatur obsequium interius, ac vera animi observantia, sine ullâ certâ facti fide. Igitur tibi 40. Doctores, æquè ac XIX. Episcopi, videntur non posse *jure vituperari*. Ex quo sequitur, Constitutionem ipsam, & ea Mandata, quibus Doctores illi innoxii tam severè damnantur, injusta esse, & per vim ac tyrannidem lata. Quid quòd & silentium obsequiosum cum ipsâ *Consubstantialis* voce comparas, ac deinde sic prosequeris: * *Illud idem absque dubio continget in Janseniano facto, atque ætates venturæ mirabuntur, tamdiu fuisse qui crederent, pertinere ad dignitatem suam, ut aliorum mentem alii assequi nollent, atque adeò oportuisse, ut Sedes Apostolica tam sæpe pronunciaret de iis erroribus, quos à se damnari omnes ultrò profitebentur.* Videtur itaque *Sedes Apostolica tam sæpe*, nimirum editis quinque Constitutionibus, prætereaque tot Brevibus, *pronunciavisse* de commentitiis quibusdam erroribus, de quibus ne semel quidem pronunciare necesse fuit, siquidem eos *à se damnari omnes ultrò profitebantur.* De iis Clerus Gallicanus tam sæpe, tam inutiliter, quàm Sedes Apostolica pronunciavit. Id unum agebatur, quòd erant *qui crederent, pertinere ad dignitatem suam, ut aliorum mentem alii assequi nollent.* Nimirum adversarii eorum, qui se S. Augustini discipulos prædicabant, eos audire noluerunt, dum afferrent argumenta sanè gravissima & firmissima, quibus causam suam comproba-

* *Pag. 93 & 94.*

bant. Atque illud est scilicet, quod, si te audimus, *ætates ventura mirabuntur.*

Verùm expendamus, quæso, rationem eam mediam, quam tibi inter summum Pontificem & homines è sectâ ineundam esse duxisti. † *Laudabitur*, inquis, *eorum studium, qui illud propugnaverunt, quod ipsis è dignitate atque commodo Ecclesiæ maximè futurum esse videbatur.* Hanc XXIII. Episcopis laudem tribuis. Summi verò Pontificis hanc laudem propriam facis. *Neque rejicietur ea cura, quâ summus Pontifex usus est in damnandis iis vocibus, quæ cùm primùm puræ & absque veneno fuissent, posteà sunt ad perversum usum adhibitæ.* Non obscurè significas, Præsul Illustrissime, venturas ætates eo nomine laudaturas esse studium Episcoporum XXIII. tum quòd silentium obsequiosum in facti controversiâ propugnaverint, tamquam id *quod ipsis è dignitate atque commodo Ecclesiæ maximè futurum esse videbatur*, tum quòd illud *nativo ac proprio sensu* acceperint. Summi verò Pontificis, inquis, *non rejicietur ea cura, quâ usus est in damnandis iis vocibus, quæ primùm puræ & absque veneno fuerunt*, quæ etiamnum venenum nullum habent, nisi *detorqueantur* ad sensum alienum atque à proprio sensu discrepantem. Cæterùm ostendi, perversum illum, quem memoras usum, totum esse commentitium. Non alium 40. Doctores illius usum adhibuerunt, quàm qui à te fuit adhibitus. Itaque sic existimas, silentium illud non fuisse à summo Pontifice damnatum, nisi sensu

† *Pag* 34.

quodam alieno ac *detorto*, non autem nativo ac proprio; non fuisse damnatum, nisi propter perversi cujusdam usûs metum commentitium, de quo homines quidam fraudulenti plura etiam dixere quàm veritas pateretur, *ut nimirum* eas voces *suæ Sanctitati suspectas efficerent.* Jam verò omitto quærere, utra sit laus illustrior, eáne quam tribuis silentii obsequiosi patronis, quia illud proprio ac nativo sensu acceptum forti animo propugnaverint, an ea quam summo Pontifici concedis, quòd voces quasdam sensu *detorto* ac minùs proprio acceptas damnaverit, propter *perversum* aliquem *usum*, de quo fraudulenti homines & pacis inimici ipsi multa retulerunt. Utut est, certè significas videri tibi, Constitutione nihil nisi *damnari voces* quasdam, & eas quidem sensu *detorto* acceptas.

Si verò quis paulò diligentiùs perspicere velit, quid tandem intelligas isto obsequio interiori, atque istâ facti fide, quæ duo ad silentium tuum obsequiosum adjungis, legat sanè quæ ex Epistolâ tuâ desumo. * *Illi verè, bonâ fide, atque ex animi sententiâ crediderunt, propositiones ex Jansenii libro desumptas, damnatas ab Ecclesiâ fuisse, statueruntque huic Ecclesiæ decreto numquam aut directè aut indirectè repugnare, atque ita se affectos esse juraverunt, dum formulæ subscripserunt, omissâ omni de Janseniano facto disquisitione.* Istis verbis non damnas eos, qui sic affecti sunt, imò valdè improbas, eos à me damnari. Qui tamen eo sunt animo, nullam habent

* *Pag. 96.*

certam facti fidem, si quidem ponis eos, *omissâ omni de Ianseniano facto disquisitione*, id unum tenere, ut *credant propositiones ex Iansenii libro desumptas, damnatas ab Ecclesiâ fuisse, statuantque huic Ecclesiæ decreto numquam aut directè aut indirectè repugnare*. Non is credit, quinque hæreses esse accuratè desumptas ex Jansenii libro, atque illo verè contineri, qui tantùm *credit*, hæreses quinque ab Ecclesiâ seu bene seu perperam *desumptas*, ab eâdem fuisse *damnatas*. Non modò postulat Ecclesia ut quisque credat, ipsam sibi videri accuratè desumpsisse ea quæ desumpsit, & rectè decrevisse ea quæ decrevit: postulat præterea ut quisque credat idem, quod illa credit de suâ tum in desumendo diligentiâ, tum in decernendo æquitate. Deinde verò, qui *statuit huic decreto numquam aut directè aut indirectè repugnare*, non ille decreto ipsi assentitur, sed tantùm tacet, atque alios huic assentiri & credere sinit: non ille fatetur silentium obsequiosum non satis esse, imò se hoc obsequioso silentio continet: non ille certò credit id, quod Constitutione decretum est, sed id tantùm ex merâ observantiâ seu obsequio suscipit. Atque hoc tamen animo velles jurare eos, qui formulæ subscribunt.

X I X.

Denique vis haberi *errorem imperiti vulgi .... & commentum .... adversus eos qui Jansenìani vocantur*, sententiam eorum omnium Episcoporum, quibus persuasum est, quamdam esse sectam hominum, qui obstinatè credant sen-

sum nativum quinque propositionum; *qui si minùs eos errores palàm atque apertè profiteantur, clàm certè & cum cæteris congerronibus suis non dissimulent. Ista*, inquis, *calumnia, reprehensione non indiget : si enim fuissent homines ejusmodi, dubium non est quin comperti fuissent aliqui, cùm diligenter jam ab annis* 60. *conquirantur.* Sed ut omittam hoc loco meis argumentis demonstrare, nimiùm sæpè comperiri eos, quos *jam ab annis* 60. nullos esse pugnas, facio libenter ut ipse sileam, atque id quod à te præsertim opponi non possum non vehementer admirari. confutari sinam tùm à Sede Apostolicâ, tum à Clero Gallicano. Nam obsecro, idne unum agit Sedes Apostolica *jam ab annis* 60. ut tot Constitutionibus, tot Brevibus commentum inane percellat atque affligat, in eo semper obstinata, ut sibi verum corpus esse persuadeat? An verò Gallicanus Clerus *jam ab annis* 60. vanam imaginem atque umbram ridiculam persequitur? Fuitne Clerus ille rationis ac mentis inops, cùm anno 1700. damnavit hanc hominum è sectâ propositionem, *Phantasma Iansenismi quæsitum ubique, sed nusquam repertum, præterquam in laboranti quorumdam phantasiâ.* Cleri cœtus affirmavit, eos qui sic loquerentur, esse *inquietos homines, qui Constitutiones apertè contemnunt.* Atque hanc propositionem cum aliis declaravit esse *falsam, temerariam, scandalosam, contumeliosam in Clerum Gallicanum, in summos Pontifices, & in universam Ecclesiam, schismaticam, & erroribus condemnatis faventem.*

Quid est igitur, Præsul Illustrissime, quòd ais jam ab annis 60. conquiri ejusmodi *phantasma*, nusquam reperiri? Tot Episcopos omnibus ex Provinciis collectos oportuit sanè diligentiùs cognoscere, quàm tu unquam cognoveris, universum Gallicarum Ecclesiarum statum. Quid est quòd significas, jactari nomen cujusdam hæreseos, quæ tota commentitia est, ut eâ causâ malè habeantur veri S. Augustini discipuli; eo pacto violari in Galliâ Ecclesiæ pacem, quæ scilicet per obsequiosum silentium feliciter constituta, jam labefactetur, dum quidam homines, severiùs quàm par est, postulant certam facti fidem ab iis, qui formulæ subscribunt? Quid moraris, Præsul Illustrissime, confiteri id quod universa sentit Ecclesia, solam esse sine ullâ exceptione obedientiam, quæ veram pacem afferre possit; pacem verò simulatam aut ementitam longè plus habere periculi, quàm bellum apertum ac manifestum? Denique non possum quin dicam, ipsius obsequiosi silentii leges à te violari, dum Epistolâ tuâ tam splendidè declaras, à te Constitutiones eludi, quas summo studio & Christianâ simplicitate excipere debueras.

Iterum fortasse libebit tibi conqueri, quòd ego te *incusare* aggrediar, & veluti oculos tuos aperire, quasi eos penitus occlusos habeas. Sed ego reponam illud quod S. Augustinus S. Hieronymo respondebat conquerenti, quòd fuisset ab ipso reprehensus. * *Neque hoc ideò dico*, inquiebat ille, *ut oculos cordis recipias, quos absit ut amise-*

* *Epist.* 40. *n* 7.

*ris, sed ut advertas, quos cùm habeas sanos & vigiles, nescio quâ dissimulatione avertisti, ut non intenderes*, quò pertraherent illa quæ assumis, quamlibet aliunde piam ac rectam mentem & voluntatem geras.

X X.

In quo verò me accusas, quòd ex Epistolâ tuâ quædam verba retulerim, facilè me tuebor, si hæc duo demonstravero; primum quidem, orationem tuam à me nullo pacto fuisse immutatam; alterum verò, non sine argumento me ex tuis dictis ea collegisse quæ collegi.

1. Verba mea, quibus & tua retuli, repræsento. † *Sperasti, Illustrissime Præsul, declinaturum te ab istâ difficultate, si sic loquereris:* [AUTORITAS ALIQUOD DOGMA CONSTITUENDI CONFUNDENDA NON EST CUM ILLO JURE, QUO ARCHIEPISCOPUS ET FACULTAS CENSURA CONFIGERE POSSUNT, UT RE IPSA CONFIXERUNT, CASUM; TAMQUAM VIOLATIONEM SILENTII RELIGIOSI, ET DISCIPLINÆ JAM IN DIOECESI PARISIENSI ET CONGREGATIONE FACULTATIS CONSTITUTÆ; SI RATIONES OBVIAS QUASQUE IN USUM DEDUXERUNT, QUÒ POTESTATI SUÆ JUS LEGITIMUM ADSCISCERENT; ET REPREHENDERENT ID, QUOD CENSURA NOTARE VOLUERUNT . . . . . ] Equidem hæc verba, quæ duabus ansulis inclusa sunt, lineâ inferiùs ductâ notaveram, ut omnes intelligerent ea esse tua: & ille usus obtinet in iis, quæ manu scribuntur, quemadmodum in iis quæ eduntur typis, valet consuetudo, ut ea, quæ ex aliis deprompta

† *Pag. 48. Edit. Lat.*

laudantur, edantur Italico caractere. Præterea dum ego scripsi, puncta aliquot, ut par erat, apposui post illa verba, *& reprehenderent id, quod censurâ notare voluerunt*. Enim vero ita vulgò faciunt, qui sumpta ex aliis verba referunt, ut significent, alienis illis verbis non absolvi periodum integram, quæ nimirum alia quædam verba complectatur adjuncta apud Autorem ipsum quem appellant. Est igitur æquitatis tuæ, Præsul Illustrissime, non accusare fidem aut diligentiam meam, quòd dum ego scriberem, lineâ inferiùs ductâ notavi tantùm ea verba, quæ planè tua sunt; & postremæ periodi partem ita retuli, ut deinceps puncta aliquot apponerem, quibus significarem, periodum tuam his quæ referebam verbis non esse absolutam. Et verò periodus integra, quam tu repræsentas pag. 60. & 62. secundæ tuæ Epistolæ, est ejusmodi: *Si rationes obvias quasque in usum deduxerunt, quò potestati suæ jus legitimum adsciscerent, & reprehenderent id, quod censurâ notare voluerunt, par est credere, nihil aliud ipsis spectasse, quàm ut idem institutum tenerent, quo jamdudum utebantur, non verò ut damnarent eos, qui in ipsorum potestate ac ditione non sunt, aut ejusmodi dogma ab omnibus admitti vellent.* Faciet profectò, Præsul Illustrissime, tuus iste pudor ac fides, ut verba tua ultro recognoscas. Igitur dum ego scriberem, lineâ inferiùs ductâ notavi tantùm ea verba, quæ planè tua esse profiteris Epistolæ tuæ secundæ paginâ 60. & 62. Puncta verò aliquot apposui post illa ver-

Pariter cùm tu sic ais, *Si rationes obvias quasque in usum deduxerunt, quò potestati suæ jus legitimum adsciscerent, & reprehenderent id, quod censurâ notare voluerunt, par est credere, nihil aliud ipsos spectasse &c*, solis luce clarius est, te intelligi voluisse, illos *rationes obvias quasque in usum deduxisse*. Tametsi ea enunciatio particulam *Si* habeat adjunctam, unde videatur ex aliquâ conditione pendere, est tamen manifestum, sensum illius affirmantem esse atque ab omni conditione solutum. Idem est enim prorsus ac si dixisses, Etiamsi *rationes obvias quasque in usum deduxerint*, tamen *par est credere, nihil aliud ipsos spectasse, quàm ut idem institutum tenerent &c*.

2. Quid verò magis contumeliosum in Præpositos dici potest, quam eos *rationes obvias quasque in usum deduxisse*? Sic enim statuis, Præsul Illustrissime, eos primùm decrevisse, silentium obsequiosum omnino esse censurâ configendum; deinde illos non conquisiisse, non delegisse firma quædam argumenta, quibus *potestati suæ jus legitimum adsciscerent*, & quibus quasi fundamentis obsequiosi silentii & à 40. Doctoribus approbati censura niteretur. Sine delectu *rationes obvias quasque in usum deduxerunt*, inquis: commodum visum est, quidquid sors objecit. Quid ita? an ut silentium obsequiosum probarent, quod tibi quidem videtur & *suo nativo sensu* acceptum vacare culpâ, & malum non esse, nisi alieno ac minùs proprio sensu accipiatur? Imò verò, ut *potestati suæ jus legitimum adsciscerent* adversus si-

lentium illud, quod prorsus culpâ vacabat, adhibuerunt ea, quæ occurrerunt omnia : arripuerunt ea, quæ se obtulerunt omnia, ad autoritatem suam confirmandam, & *reprehendendum id, quod censurâ notare voluerunt*, hoc est, ad silentium illud, quod per se quidem satis erat, sensu minùs proprio, sensu alieno ac detorto sumendum, & ad Doctores illos immerentes censurâ notandos.

Atque ut clariùs intelligitur, quæ sit verborum tuorum vis & significatio, operæ pretium est controversiæ statum rursus ob oculos ponere. Vidimus silentium obsequiosum, quale à Doctoribus 40. probatum est, esse omnino idem, quod tu ab Episcopis XXIII. rectè comprobatum esse defendis. Igitur tuæ causæ ratio postulat, ut id statuas, nihil prorsus fuisse, cur in Doctoribus damnaretur, quod tibi adeò culpâ omni solutum, adeò laudabile videtur in Præsulibus. Nam quem, obsecro, vis esse hominum sensum, qui norunt, nullam tibi videri fuisse justam causam Doctores damnandi, quique te audiunt dicentem, Illustriss. Archiepiscopum Parisiensem & Facultatem *obvias quasque rationes in usum deduxisse, ut potestati suæ jus legitimum adsciscerent, & reprehenderent id, quod censurâ notare voluerunt* ? An verò dices, firma argumenta fuisse ab ipsis adhibita, Præsul Illustrissime, qui scilicet, si tibi ipse constas, ita debes esse affectus, ut credas nullum prorsus ipsis fuisse argumentum, quod aliquam speciem haberet veri ; siquidem ex iis quæ posuisti, sequitur, Doctores æquè culpâ vacare atque Præsules eos,

quorum causam defendis. Jam quemvis arbitrum deposco, num sit manifestum, significare te voluisse, Illustr. Archiepiscopum Parisiensem & Facultatem *obvia* quæque *in usum deduxisse*, adhibuisse absque ullo delectu ea, quæ se obtulerunt omnia, omnia approbasse, ut eos Doctores censurâ configerent, qui tamen æquè culpâ vacabant atque Episcopi XXIII.

Age verò, quænam sunt illa argumenta, quæ Illustrissimus Archiepiscopus Parisiensis adhibuit? Omnia nimirum eò pertinent, non posse eum subscribere formulæ ac jurare, qui id quod factum appellatur non credat; illos verò qui jusjurandum sic permitterent, ut non postularent fidem certam, *favere usui ambiguè dictorum, restrictionum mentalium, atque adeò ipsius perjurii.* Hoc ipsum est unicum Ill. Archiepiscopi Parisiensis argumentum, quod prorsus necesse esse aio ut tibi non probetur, quia neque valere potest adversus Doctores, quin valeat quoque adversus Præsules, neque infirmum potest esse adversus Præsules, quin adversus Doctores quoque infirmum esse videatur. Oportet igitur omnino, si stare vis iis quæ posuisti, ut nullum esse robur existimes in eo argumento, quod unicum adhibuit Ill. Archiepiscopus Parisiensis. Quare cùm ais, & ipsum & Facultatem *obvias quasque rationes in usum deduxisse, ut potestati suæ jus legitimum adsciscerent, & reprehenderent id, quod censurâ notare voluerunt,* necesse est ut quivis intelligat, sic tibi fuisse persuasum, eos, cùm omni vero ac firmo argu-

mento carerent, quò *reprehenderent id, quod censurâ notare voluerunt*, infirmam aliquam *rationem*, quæ scilicet facta est *obvia*, *in usum deduxisse*, nimirum eam quâ statuitur, silentium obsequiosum non sufficere, ut non pejeret, qui eo solo fretus adhibet jusjurandum. Quamlibet diligenter investiges atque excutias omnia, Præsul Illustrissime, certè si tuæ doctrinæ fundamenta cum tuis verbis conjungantur, fieri planè non potest, ut aliud unquam sensisse existimeris. Desino in eadem verba, quæ scribebat S. Augustinus ad S. Hieronymum. * *Ego quidem absit ut lædar, si mihi certâ ratione volueris & potueris demonstrare, illud .... te veriùs intellexisse, quàm me: immò verò absit, ut non cum gratiarum actione lucris meis deputem, si fuero te docente instructus, aut emendante correctus ..... † Obsecro te ergo per mansuetudinem Christi, ut si læsi te, dimittas mihi*, dum ea dixi, quæ sileri à me ipsa Ecclesiæ causa non patitur. Alia multa prætermitto, ut hæream in iis dumtaxat, quæ ad controversiam nostram vel maximè pertinent; atque ita confido fore, ut iis explicandis, quæ consultò prætermisi, quæque explicare sine summo dolore non possem, supersedere me non invitus feras. Illud certè etiam atque etiam optarim, ut mihi nihil ampliùs aliud tecum sit negotii, quàm ut significem tibi, quanto studio atque observantiâ sim futurus deinceps quòd vivam &c.

At illud omittere non debeo, Præsul Illustrissime, ut de iis hominibus conquerar, qui Episto-

* *Epist.* 73 *n.* 1. † *Ibid n.* 3.

lam tuam typis vulgandam curaverunt cum hoc titulo, *Nova Epistola ab Ill. Episcopo S. Pontii scripta, quâ refelluntur illa, quas scripsit Ill. Arch. Cameracensis, de infallibilitate Papa.* Eo quippe titulo induci possunt in errorem ii, qui nihil ipsi discutiunt, & hominibus è sectâ credunt omnia. Verùm æquus Lector sanè mirabitur vehementer, Scriptum tuum eo titulo donari, qui tantùm abhorreat à veritate. Enimverò non potuisti me *refellere de infallibilitate Papa*, si neque ego illam Epistolâ meâ defendi, neque tu illam Epistolâ tuâ convellisti. Atqui nosti unus omnium optimè, & me de eâ verbum fecisse nullum, & te pariter de illâ siluisse. Neque verò dubito, Præsul Illustrissime, quin profitearis, improbari tibi titulum hunc tam parum consentaneum illi ingenuitati, ac probitati, quam in te magnopere veneror. Et quamvis te inconsulto titulus ille sit additus, videretur tamen hæc tota ratio tibi probari, nisi declarares, quantùm ea tibi displiceret. Illi certè, qui ejusmodi titulum apposuere, nescire non possunt id, quod sæpius à me in Documentis Pastoralibus declaratum est, hoc unum agi, num Ecclesia universalis sit, in dijudicandis textibus dogmaticis, obnoxia errori, num immunis ab erroris periculo. De ipso Ecclesiæ Capite sic loquor, ut illud semper cum membris conjunctum exhibeam. Quinque sanctæ Sedis Constitutiones sic appello, ut eas ab omnibus Ecclesiis, quæ ipsi communionis vinculo connexæ sunt, receptas esse commemorem. Denique ostendo, controversiam

illam de infallibilitate Papæ nihil prorsus ad quæstionem nostram facere, meque longè abesse ab eo, ut de illâ disputare velim. At nihilo seciùs homines è sectâ volunt in tantâ luce cæcutire: nimirum ipsorum interest, ut alterum pro altero supponant, & omissâ verâ quæstione, in quâ intelligunt nihil sibi esse præsidii, quæstionem alienam atque à proposito abhorrentem obtrudant. Sperant quippe, id se hac ratione consecuturos, ut Principibus aliquam suspicionem ac metum injiciant, Ecclesiamque dividant. Sed ego rursus contestor ac profiteor, me de eâ quæstione, quæ ad nostram nullâ ex parte pertinet, neque egisse unquam, neque verò agere voluisse, ac tuam fidem ac veritatem imploro atque obtestor adversus eos, qui, dum Epistolæ tuæ titulum affinxerunt, in me tam apertè mendaces ac protervi fuere.

Cameraci mense Augusto 1707.